pt. II



Oxford®
NO. 752 1/5
ESSELTE
10%


KUTSU NIIHIN JULKISIIN ESITELMIIN

JOITA PROFESSORIT

UNO LUDVIG LEHTONEN JA YRJÖ HIRN

21 P. SYYSK. 1910

PITÄVÄT VIRKAANASTUJAISISSAAN

INBJUDNING TILL ÅHÖRANDE AF DE OFFENTLIGA FÖREDRAG

MED HVILKA PROFESSORERNE

UNO LUDVIG LEHTONEN OCH YRJÖ HIRN

DEN 21 SEPTEMBER 1910

TILLTRÄDA SINA EMBETEN

PARATACTICA LATINA II
SCR. F. GUSTAFSSON

HELSINKI 1910 HELSINGFORS

KUTSU NIIHIN JULKISIIN ESITELMIIN

JOITA VENÄJÄN HISTORIAN JA VALTIOTIETEEN PROFESSORI
SUOMEN KEISARILLISESSA ALEKSANTERIN YLIOPISTOSSA
FILOSOFIAN LISENSIAATTI

UNO LUDVIG LEHTONEN


JA ESTETIIKAN JA NYKYISKANSAIN KIRJALLISUUDEN PROFESSORI FILOSOFIAN TOHTORI

YRJÖ HIRN

PITÄVÄT VIRKAANASTUJAISISSAAN

21 P. SYYSK. 1910

PARATACTICA LATINA II
S.CR. F. GUSTAFSSON



HELSINKI 1910

INBJUDNING TILL ÅHÖRANDE AF DE OFFENTLIGA FÖREDRAG

MED HVILKA PROFESSORN I RYSSLANDS HISTORIA OCH RYSK STATSKUNSKAP
VID KEJSERLIGA ALEXANDERS UNIVERSITETET I FINLAND
FILOSOFIELICENTIATEN

UNO LUDVIG LEHTONEN


OCH PROFESSORN I ESTETIK OCH NYARE LITTERATUR FILOSOFIEDOKTORN

YRJÖ HIRN

DEN 21 SEPTEMBER 1910

TILLTRÄDA SINA EMBETEN

PARATACTICA LATINA II
SCR. F. GUSTAFSSON



HELSINGFORS 1910

PARATACTICA LATINA

II

SCR. F. GUSTAFSSON

PROGRAMMA ACADEMICUM



HELSINGFORSIAE 1910

HELSINGFORSIAE 1910
SOCIETAS TYPOGRAPHORUM FRENCKELLIANA

INDEX.



Paratactica latina II.

In vocabulorum significationibus variis definiendis et dividendis nemo dubitat quin ad primariam vim vocis quantum fieri possit ascendendum sit atque ex ea et definiendi et dividendi repetenda ratio. Neque quisquam nisi medii aevi philosophus id sibi induxit animum ut ex excultissima quadam iamiamque abstracta significatione exiens tamquam in flore radices quaereret et inde ceteras verbi alicuius significationes colligeret et explicaret. Quod in nominibus et verbis vulgo fit, id fieri oportet in coniunctionibus atque etiam complexis in verbis, neque minus in totis verborum comprehensionibus vel enuntiatis. Atque vocabula, quae praesertim in certis quibusdam enuntiatis immutata maneant, mirum quam diu primam suam quodque servant originem, ut quamvis inconsiderate per saecula repetantur, non tamen facile ita ponantur, ut primigeniae repugnantem nedum contrariam significationem temere admittant, nisi simillimae analogiae commoditate tamquam decepta aut summa sensuum interiectorum vi coacta. Iidem igitur sensus cum per multas hominum aetates iisdem vocabulis exprimantur, si tamen iis quas dixi causis vel procedente aevo attenuantur significationes aut prorsus mutantur, rursus illi sensus nonnumquam simillimis vocibus redduntur.

In singulis vocibus et in multis complexionibus vocabulorum ex communi ariacarum linguarum fonte plena et absoluta cognitio haurienda est, quamquam vel hac in re sua saepe et diversa via processerunt indi et germani, slavi et latini. In enuntiatis multo magis implicatis si quis ad radices descendere volet, adiumenti vix plus ex cognatis quam ex dissimilibus linguis inveniet, quod potissinum fit in secundariis enuntiatis, quarum quaedam si communi

similitudine exstiterunt in paucis linguis cognatis, id non tam vetustae consuetudini quam communi cogitandi rationi humani generis tribuendum videtur.

Neque tamen in singularum linguarum syntaxi ab origine coniunctionum vel aliarum vocum, quibus conecti videntur enuntiata, discedendum est et exsiliendum ad summas excultissimorum auctorum cogitationes neque ex eorum sermone historicae, quae saltem vocatur, grammaticae rationes assumendae. Immo crassa quadam Minerva agendum est et plebis indoctae respiciendi mores et quae apud eam exstant sentiendi loquendique genera ante omnia indaganda. Quod recentiorum linguarum investigatoribus in dialectis licet, id fere latinis grammaticis concessit Plautus, auctor quamvis doctior recte Fr. Leoni videatur quam ante existimabatur et graecis litteris imbutus, latinae tamen plebeculae sine dubio [1]) et sensus et sermones mira libertate et summo potius ingenio quam quaesita arte reddidit, nedum prae graeco sermone nativam linguam omissam ab eo putares. Apud illum potissimum discent syntactici, quam vividis sensibus, interruptis autem enuntiatis eloquantur servi mulieres adulescentes senes varios animi adfectus, ad plura quam solerent verba effundenda saepissime commoti.

E Plauto igitur et Terentio exquirendae mihi videbantur cum aliarum tum condicionalium [2]) sententiarum origines, in quibus *si* demonstrative positum, ut idem ac posterius *sic* valeret, necesse erat saepius inveniri et re vera apparuerat mihi nondum hanc in rem accuratius requirenti. Cuius usus vestigia haud pauca vidi, vestigia dico in re, quam incertam esse iamdudum confiteor [3]) — quis enim certe dixerit aut negaverit hoc vel illo loco paratactice locutum esse Plautum, ubi sine ambagibus etiam hypotaxis possit intellegi. — Itaque hoc in libello secundo eandem rationem persecutus sum in *nisi, nisi si, ni, mirum si (nisi, ni), quasi, dum, sin, si non, sive, seu, vel* vocibus et in repetitis eius modi enuntiatis ipsiusque condicionalis rationis varias origines breviter exposui. Variae autem sunt, non unus quidam fons ex saxo subito detectus, ex quo tot tantaeque manaverint sententiae condicionales variae ac plerumque diversae.

---

[1]) Haud ignota mihi sunt quae de similitudine Plauti ceterorumque lingua et de sermone vere latino F. Gaffiot nuper protulit; quae mihi non probavit, cfr P. Lejay Rev. crit. 1910 p. 101 s.

[2]) De his plene et accurate, ut solet, J. H. Schmalz in enchiridio Muelleriano, in nova praesertim latin. grammat. editione quarta p. 580 s.

[3]) Paratactica latina I p. 10, 77, 78, 79 itemque totum per libellum.

Quae proximo anno edidi „paratactica latina“ nonnullis petentibus quia iam non prostant, paucissima ex iis repetam, omnia tamen fere genera condicionalium sententiarum, in quibus parataxeos vestigia repperisse mihi videor. Atque ipsum *si* primitus sicut *sic* significare oportuit: hic, hac in re, hoc in casu, ita, ergo, iam, interrogantis[1]) accentu itane?, exclamantis, praecipue indignantis sicine?! Efferebatur aliquando solum per se: sic est; deinde et saepius nimirum cum ceteris verbis est coniunctum. Multis locis, sive post alteram sententiam sive ante eam positum est enuntiatum quod *si* inducit, aliquantum interest. Atque quod in praesenti re, in prima et secunda persona dicitur, id maiore vi exprimitur demonstrativamque significationem magis aperit quam quod longius abest ab loquente et ab rei veritate. Praecipue hoc tenendum est, antiquitus saepissime pro vero habitum et dictum esse, quod excultioris aetatis homines obiecta dubitatione aut condicione proposita eloquebantur. Deinde vero interruptis illi sententiis vel potius sensibus multo saepius quam hi utebantur.

Haec potissimum *si* particulae demonstrativae et paratacticae genera statui, ubi pro hypotactico *si* olim *sic* paratacticum cogitari potuit; paucissimos, ut dixi, locos breviter hic exscribam; quae addidi, uncis [ ] significavi. Sunt igitur huius modi: quiesce: si sapis; dic: si me ames; (sicine agis?) si quid agis, age (quid ego agam?) Dicam; si quidem voltis. Si certum est facere: faciam; si dis placet; si di volunt; si quidem feci: feci nequiter. Aedes compilavit: more si fecit suo. Abeo, sat habeo: si [sic est] cras fero. Actum est: si quidem [sic quidem est] haec vera praedicat. At si [sic est] vidistis, dicite. Salvomst — Solvite vosmet igitur, si salvomst. (Scilicet ita tempus fert: faciundumst). Si iste ibit, ito: stabit, astato simul. Egone si muttivero . . . Nam si [sicine?!] me irritassis . . . (Tangedum! Tanges? at scin quo modo) si [sicine?!] attigeris . . . (Verbum adde unum) verbum si addideris. (Quin tu hanc emis? eme modo!) si [ergo] hanc emeris . . . Si des: porrexi manum. Dicis: si facias modo. Id ago: si taceas modo. Immo, si scias. Possum: si detur. Recte monstrat: si imperare possit. Hoc ita si fiet: publico fiet bono. Si liceat: oculos effodiam. Assentabor: si possum nancisci. Animum advortite: si possum hoc inter vos componere.

---

[1]) Similia de *ut* particulae usu primigenio attuli Nordisk tidskrift for Filologi 1892 p. 71 s.

Perscrutabor: si inveniam. Studeo: si facere possim ullo modo. Vide: si satis placet. Quid, si adeamus. (Ita me di ament) si me di ament; si vivo. Si (et si) hercle cupias: ego numquam sinam. Si quidem mihi regnum detur: numquam persequar. Sed si sint ea vera: quid mirum fecit. (Loquere: quid vis) loquere: si quid vis. [1])

Ex his vel potius ex huius modi exemplis, quae plurima ex Plauto attuli, nescio an explicari aut saltem conici possit, qua ratione ortus olim sit hypotacticus *si* particulae usus, neque aliter nonnulli usus, quales nunc sunt, videntur posse explicari, sicut interrogativus ille, de quo tot dubitationes prolatae sunt [2]), nisi quis omni historia perversa ex nostra consuetudine vel ex Ciceronis sermone Plautinum usum velit enucleare, qui quidem illo acutissime „intellegendo facit ut nihil intellegat" quod ad originem rei pertineat. Ne graeco quidem fonti *si* coniunctionis usus, ab εἰ diversi, debentur, nedum *nisi,* in quo quae composita sunt vel alieno ordine impedimur ne graecissando expedire conemur. Sed de eo ipso iam videbimus.

Nisi particula, qualemcumque sibi originem vindicat [3]), non dubium est quin ex negandi voce et *si* composita sit. Primitus igitur nondum coniunctis vocabulis, eam oportuit significare tum: n o n, (verum) s i c (est), tum prohitivo sensu: n e, (verum) sic. Quamquam cum ad vetustissimum tempus ascendere hic usus vel propter negationis formam putandus sit, discretaene fuerint iam tum duae illae negandi significationes *non* et *ne* vix apparet. Nondum in unum coniunctis *ne* et *si* utramque *nisi* vocis partem primitus accentu elatam fuisse consentaneum est. Iam vero variante ex ictu metrico significationis variatio discerni vix potest. Ne in hac quidem particula iamiam ad unam redacta prima tamen *si* vocis vis videtur om-

---

[1]) Nonnullis igitur in exemplis abundat fere *si;* aliter hoc fit posterioribus latinitatis temporibus, de qua re cfr E. Löfstedt, Spätlatein. Studien, Uppsala 1908, p. 30 s.

[2]) F. Gaffiot tamen (Ecqui fuerit *si* particulae etc. Paris 1904) ubique condicionalem vim ex *si* particula extorsit.

[3]) Cfr F. Sommer, Indogerm. Forsch. XI, 1900, p. 329, contra quem F. Stolz ibid. XVIII, 1905—6, p. 445 disputat et in Latein. Gramm. 4 edit. (in enchir. Mueller.) p. 73 et 217, praeterea Brock, Quaestion. grammatic. cap. duo, Lips. 1897, p. 170 s., et de iis Lindsay in annal. Bursian. 1906 II p. 198. De prohitivo *ne* cogitavit L. Lange, Ueb. d. hom. Gebr. dr Part. εἰ, p. 445; de *ni* cfr p. 381. Nuper *nisi* et *ni* vocum et originem et usum hypotacticum luculenter illustravit K. Brugmann, Indogerm. Forsch. XXIV, p. 72 s. Vetustissima exempla, partim iam hypotactica, collegi Parat. lat. I p. 3, 4, 6—9.

nis exstincta esse. Cuius usus antequam exempla adferan, alia et aperta simili in re parataxis comparanda est, quae perspicua est in eo loquendi genere, ubi qui loquitur aut se ipsum aut alterum corrigit sensumque, a quo abhorret, tamquam animo abigit.

Curc. 143 s. PH. N o n i t a r e s e s t: nam confido parasitum hodie adventurum
Cum argento ad me. PA. Magnum inceptas, si id expectas quod nusquamst.

Hoc Sallusti loco, Catil. 51, 10 s. *nisi forte* (nulli) reponi fere potest, item in Terentiano, qui sequetur (nisi forte fieri):

scilicet quem res tanta et tam atrox non permovit, eum oratio accendet. N o n i t a e s t, neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur, multi eas gravius aequo habuere.

Ter. Ad. 625 s. Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod minumest opus
Usquam ecferri; a c m i t t o: fieri potis est ut ne qua exeat.
Ter. Phorm. 232 Nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam
Revereri saltem!

Interrogandi modo si quis hac in re utitur (non sic?) *num* facile ponit, ut Militis loco. Deinde vero prohitivi usus duo exempla paratactica sat habeo adferre. His omnibus locis *nisi* vel *nisi forte* suum obtinere poterit locum.

Mil. 290 s. SC. Profecto vidi. PA. Tutin? SC. Egomet, duobus his oculis meis.
PA. Abi, non veri simile dicis neque vidisti. SC. Num tibi
Lippus videor? PA. Medicum istuc tibi melius⟨t⟩ percontarier.
Asin. 839 s. AR. Ne dixis istuc. DE. N e s i c fueris: ilico ego non dixero.
Mil. 430 s. (SC.) Nam nec te neque me novisse ait haec. PA. Persectari hic volo,
Sceledre, nos nostri an alieni simus: ne dum quispiam
Nos vicinorum inprudentis aliquis inmutaverit.

pro *dum* Bothe *clam*.

Addo hoc

Stich. 67 Si quis quaeret me, inde vocatote aliqui: a u t iam egomet hic ero.

Ex parataxi primigenia, quamvis obscurata petitum *absque*[1]) adhibetur ad similem sensum significandum:

Pers. 836 s. Te mihi dicto audientem esse addecet. nam hercle absque me
Foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem.
Ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi.

In *indicativo* modo, cuius exempla per personas persequemur, *nisi* particula posita interdum non condicio quaedam adfertur, sed addit qui aliquid negavit novam negationem, qua sensum suum firmet, corrigendo tamen et restringendo. Neque desunt vestigia seiungendarum duarum *nisi* vocis partium: non, (sed) sic (est); non ita, sed tamen, ut his locis.

Merc. 252 s. . . . (somnium) nequeo invenire: nisi capram illam suspicor
Iam me invenisse quae sit aut quid voluerit.
Ter. Hec. 279 s. Nec qui hoc mi eveniat scio,
Nisi pol filium multimodis iam expeto, ut redeat domum.
Ter. Ad. 544 . . . nequeo satis decernere,
Nisi me credo huic esse ratum rei, ferundis miseriis.
Ter. Eun. 548[2]) . . . nequeo satis mirari neque conicere,
Nisi procul hinc lubet prius sciscitari.
Poen. 649 s. Nescimus nos quidem istum qui siet:
Nisi dudum mane, ut ad portum processimus,
Atque istum e navi ibi exeuntem oneraria
Videmus.
istum quidem et *a mane* P.

Insignis illo loco est *atque* adfirmantis vox, neque ullo modo casum fingentis, nedum condicionen proponentis.

Bacch. 704. Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo.

Illo vel illius modi loco, cuius sensus est negativus, *nisi* fuit primitus: nihil, verum iam. Et similia haec aliquando fuerunt, quae nunc inverso sensuum ordine hypotactica habentur: non hic, non

---

[1]) De *absque* cfr inter alios H. Jordan, Kritische Beitr. zur Gesch. der latein. Spr. Berlin 1879 p. 308 et nuperrime E. Schwyzer, Indogerm. Forsch. XXIII 1908 p. 167.

[2]) Haec qui pro condicione accipit, quam contorte, quantis ambagibus et expletionibus explanet, vide Liebig, Die hypothetischen Sätze bei Terenz, Görlitz 1863, p. 7: ich kann mich nicht genug wundern und werde wohl auch nicht aus der Verwunderung herauskommen, wenn ich nicht, was ich will, lauere und aufpasse.

hac in causa, non iam. Quod sequitur negativum est. In *nisi* negatio sola premitur, altera pars adverbialis est. Militis loco *nisi* simile est, sequitur adfirmativa sententia.

Pers. 532. Nisi mancipio accipio, quid eo mi opus est mercimonio?
Mil. 272 s. SC. Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certo edepol scio vidisse hic proxumae viciniae
Philocomasium erilem amicam sibi malam rem quaerere.

His qui sequuntur locis prorsus per se stat sententia quae *nisi* particula inducitur.

Epid. 265 mihi nec seritur nec metitur, nisi ea quae tu vis volo.
Ter. Ad. 153 ecce autem de integro! nisi quidquid est
Volo scire . . .

Sequuntur secundae personae exempla. *Nisi* est: non, immo sic est; non tu hic.

Amph. 765 s. Nimis demiror, Sosia,
Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec omnia.
Trin. 414. Non tibi illud apparere si sumas potest,
Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.
Most. 940 s. PH. ⟨Heu⟩s senex, quid tu percontare, ad te quae nil attinent?
TH. ⟨Ni⟩l ad me attinet? PH. Nisi forte factu's praefectus nouos.

Item in tertia persona. Repetitur proximo in exemplo neque tollitur negatio: non sic, verum (tantum) . . .

Ter. Eun. 735. PY. Nil dixit, tu ut sequerere sese? CH. Nil, nisi abiens mi innuit.
Ter. Ad. 483. Immo hercle extorque, nisi ita factumst, Demea.
Amph. fragm. XIII. Nisi hoc ita factumst proinde ut factum esse autumo,
Non causam dico quin vero insimules probri.

Hoc in exemplo de primigenia interrogatione cogitari oportet: nonne ergo? In sequenti potius: num ergo?

Most. 953. Nam nisi hinc hodie emigravit aut heri, certo scio
Hic habitare. TH. Quin sex mensis iam hic nemo habitat.
PI. Somnias.

Ad secundam personam redeuntes haec perspiciamus, quibuscum *si vis* (vide Paratact. I pag. 17) illud comparandum est. Adhortationem vel imperatum quod excipit, non est condicio, sed additamentum: non hac in causa, neque hic, vel: num ergo?

Most. 60 s. TR. Orationis operam compendi face,
Nisi te mala re magna mactari cupis.
Trin. 743 s. Parata dos domist: nisi expectare vis,
Vt eam sine dote frater nuptum conlocet.
Mil. 215 s. Vigila, ne somno stude:
Nisi quidem hic agitare mavis varius virgis vigilias.
Studet et *vigilas* codices.

Mil. 1245. Nisi perdere istam gloriam vis quam habes, cave sis faxis.
Nisi Ritschl, Plautinum certe, si non Plauti, *sino, sinon* codices, *sine:* Leo, Lindsay.

Men. 786 s. MA. Qui ego istuc, mi pater, cavere possum? SE. Men interrogas?
Nisi non vis. quotiens monstravi tibi, viro ut morem geras?
Most. 762. Nunc hinc exemplum capere uolt, nisi tu nevis. [1])
Curc. 82. PA. Eine hic cum vino sinus fertur. PH. Nisi nevis. — PA. Nolo hercle.

Nisi quid vis si cum *si quid vis* (Paratact. I p. 72 s.) contuleris, videbis fuisse primitus: non? quid ergo vis. [2])

Poen. 190. AG. Ego in aedem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Asin. 108 (LI) Ego eo ad forum, nisi quid vis. DE. I, bene ambula.
De hoc loco cfr H. Sjögren, De particulis copulativis etc. Upsala 1900 p. 153.
Mil 185[a]. PE. Dixi ego istuc: nisi quid aliud vis. PA. Volo; hoc ei dicito:

Itaque in simili loquendi genere *num* locum habet:

Mil. 575. SC. Numquid nunc aliud me vis? PE. Ne me noveris.
Mil. 1195. PA. Abi cito atque or⟨n⟩ate. PL. Numquid aliud? PA. Haec ut memineris.
Mil. 259. Numquid aliud? PA. Intro ut abeas. PE. Abeo.

His adiungo nonnulla tertiae personae in simili re exempla, ubi quamvis *nisi* ponatur, nulla est de alterius voluntate dubitatio neque est condicioni locus, sed adfirmatur correctione res, sicut in secundo exemplo inter colloquentes iam ante convenerat, ut aedes illae inspicerentur.

Mil. 182 s. PA. I sis, iube transire huc quantum possit, se ut videant domi

---

[1]) De *non vis* et *ne vis* cfr O. Seyffert, Annal. Burs. LXXX, 1895 p. 320 quae dicit de libello A. Habichii haud contemnendo, qui inscribitur Observationes de negationum aliquot usu Plautino, Hal. Sax. 1893.

[2]) Plura exempla adfert A. Prehn, Quaest. Plautin. de pronom. indefin. Strassburg 1887 p. 24.

Familiaris: nisi q u i d e m illa nos uolt qui servi sumus
Propter amorem suom omnis crucibus contubernalis dari.

Primigenia vi fortius illud dicebatur: non? hic quidem illa, deinde attenuate: non hic, non hac in causa.

Most. 806 s. TH. Dei te ament. SI. Inspicere[n] te aedis [te] has velle aiebat mihi.
⟨TH.⟩ Nisi tibist incommodum. SI. Immo commodum. [SI.] i intro atque inspice.

inspicere iste aedis te Lorenz coniecit.

Mil. 816 s. Sed illum vocabo. heus Sceledre, nisi negotium⟨st⟩,
Progredere ante aedis: te voco, Palaestrio.

vocat Itali ex *voca,* quod non caret codicum auctoritate.

Pers. 599 s. TO. Nisi molestumst, percontari hanc paucis hic uolt. SA. Maxume,
Suo arbitratu. TO. Quid stas? adi sis tute atque ipse itidem roga,

abi tute P.

Correctionis et adfirmationis paratactica potius quam hypotacticae condicionis prototypa hoc quoque loquendi genus: *nescio nisi hoc scio* praebet, quod prius aperta parataxi illustrabo. Et comparandum est cum illo, quod primum attulimus (pag. 6): non, sed.

Ter. Phorm. 137. Quid te futurumst? GE. Nescio hercle; unum hoc scio . . .
Mil. 299. SC. Quid fuat me nescio: haec me vidisse ego certe scio.
Rud. 750. Nam huic alterae quae patria sit profecto nescio:
Nisi scio probiorem hanc esse quam te, inpuratissime.

patria quae P, *nisisi* B, Leonem sequor dubitans.

Ter. Andr. 664 s. Nisi mihi deos satis scio . . . Nescio, fuisse iratos qui auscultaverin.

satis scio Bentleius non recte exclusit

Ter. Phorm. 952 s. Nescio,
Nisi me dixisse nemini certo scio
Bacch. 324. Profecto de auso nihil scio, nisi nescio.
Cist. 3 s. Soror si mea esses,
Qui magis potueris mi honorem ire habitum,
Nescio, nisi, ut meus est animus, fieri non posse arbitor.

Sicut Lindsay, ego scripsi.

Ter. Eun. 826 s. Nescio,
Nisi amasse credo Pamphilam.
Epid. 281. Quid ego iam, nisi te commentum nimis astute intellego.

Etiam magis hunc usum haec exempla explanant, in quibus *nisi* posito alia ac nova res profertur.

Cist. 676 s. Ubi ea sit nescio, nisi ea, ut opinor,
Loca haec circiter mi excidit.

haec circ. exc. mihi codices, transposuit Lindsay, alii aliter.

Amph. 1024. Sosia. — Ita: sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.
Amph. 901. Sic est, vera praedico:
Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.
Amph. 460 s. Ibo ad portum atque haec ut sunt facta ero dicam meo:
Nisi etiam is quoque me ignorabit.
Stich. 356. Quid sit nil etiam scio,
Nisi forte hospites venturi sunt.
Ter. Heaut. 541 s. Iocone an serio ille haec dicat nescio
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
Ter. Phorm. 474. AN. Ecquid spei porrost? GE. Nescio. AN. Ah!
GE. Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti.

Perii nisi et similia [1]) eandem *nisi* vocis originem prae se ferunt aut saltem vestigia eius praebent: non, sic ergo. Abigit qui loquitur ex animo suo pereundi necessitatem, remedium corrigendo addit.

Truc. 620. STR. Perii hercle hodie, nisi hunc a te abigo.

ni Bothe, *nisi* codices, *nisi te hinc* Brix.

Poen. 368 s. AG. Mene ego illaec praesente dici? discrucior miser,
Nisi ego illum iubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.
Pers. 738 s. SA. Nisi ego illun⟨c⟩ hominem perdo, perii. atque optume.
Eccum ipsum ante aedes.

Illa in initio novi sermonis dicuntur, quo cum alii hypotacticam rationem probabunt, ego primigeniam parataxin: nein, so will ich . . . ich bin ja verloren. Neque enim *perii* primitus per condicionem, sed summa vi efferebatur et recusabatur *nisi* posito.

Item in hoc quod sequitur exemplo mihi absurdum videtur in excitata oratione pereundi sortem pro hypotactica condicione et ea quidem prorsus mira inserere exclamationibus summa vi elatis; neque irrisioni hac in re locus est.

Rud. 1415. Perii hercle: nisi me suspendo, occidi.

---

[1]) Cfr C. F. W. Müller, Philologus 1854, IX p. 599 s.

Aliter se habent, in simili tamen re, quae sequuntur exempla, ubi adfirmat qui loquitur se aliquid facturum ne pereat (non: ergo, nein, so) aut, ut in primis tribus exemplis primae personae, quaerit quid inveniat quo malum avertat. *Quid* igitur interrogativam vim retinuit primitus.

Trin 515 s. Tibi ego rationem reddam? ST. Plane periimus,
Nisi quid ego conminiscor. Philto, te uolo.
PH. Si quid vis, Stasime. ST. Huc concede aliquantum.
PH. Licet.

Vidyl. 66 s. Captam praedam perdidi,
Nisi quid ego mei simile aliquid contra consilium paro.

Most. 539 s. Manufesta res est, nisi quid occurro prius,
Ne hoc senex resciscat. ibo huic obviam.

Ex interrogativo *quid* facile transiri ad indefinitum pronomen vel hoc loco docemur:

Capt. 539. Occisast haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam.

In hoc Asinariae exemplo *nisi* primitus potuit esse: non hic, non ergo.

Asin. 287. Perii ergo oppido, nisi Libanum invenio; ubi ubist gentium?

Ex magna copia ceterorum exemplorum haec praeterea adferam: non fiet, verum sic erit:, vel: non sic erit, ego caveo.

Ter. Heaut. 730. Faciet, nisi caveo.

Poen. 381 s. AG. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiae
Exturbo oculos atque dentes.

Mil. 828. Procede huc: periisti iam, nisi verum scio.

Pers. 236. PAE. Enim non ibis nunc, vicissim nisi scio. SO. Odiosu's.
PAE. Lubet.

In secunda persona saepissime quaeritur, facturusne sit alter, quo malum avertat; *nisi* igitur primitus fuit fere: non ergo? Itaque in simillima re forma quoque sententiae est interrogativa.

Amph. 357 s. Faciam ego hodie te superbum, n i s i h i n c a b i s. SO.
Quonam modo?
ni Itali.

Pers. 670 s. DO. Abscedent enim, non accedent. TO. Tace sis: non tu illum vides
Quaerere ansam, infectum ut faciat? a b i s n e atque argentum petis?

Merc. 168. Hercle vero vapulabis, nisi iam loquere aut hinc abis.

Amph. 360. ME. Vide sis quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.

Amph. 354 s. ME. Nescio quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis,
Familiaris accip⟨i⟩ere faxo haud familiariter.

Truc. 267 s. Nunc adeo, nisi abis actutum aut dicis quid quaeras cito,
Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos pedibus proteram.

ac pro *aut* P, *quem* A et *mulier* post *catulos*.

Rud. 683. Nisi quid re praesidi adparas, Trachalio, acta haec res est.

Mil. 1053. Nam nisi tu illi fers suppetias, iam illa animum despondebit.

Pseud. 221 s. Sed scio, tu oleum hau magni pendis: vino Te deu[i]ngis. sine modo:
Reprehendam ego cuncta hercle una opera, nisi quidem tu hodie omnia
Facis effecta haec ut loquor.

deungis optime Acidalius. *devincit* retinent Leo et Lindsay; ceterae turbae vix ad nostram rem pertinent.

Aul. 644 s. Atque id quoque iam fiet, nisi fatere. STR. Quid fatear tibi?
EVG. Quid abstulisti hinc? STR. Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli.

Mil. 326 s. SG. Vae capiti tuo. PA. ⟨Tuo⟩ istuc, Sceledre, promitto fore,
Nisi oculos orationemque alia[m] commutas tibi.

tuo addidit Guietus, *aliam* retinent alii.

Mil. 445 [1]). Non omitto. PH. At iam crepabunt mihi manus, mal⟨a⟩e tibi,
Nisi me omittis. SC. Quid, malum, astas? qui⟨n⟩ retines altrinsecus?

Mil. 295 s. Nam tibi iam ut pereas paratumst dupliciter, nisi supprimis
Tuom stultiloquium.

nesi B, item in v. 300.

Mil. 453. SC. Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si omisero, intro ituram.

Poen. 493. ANT. Ausculta. LY. Non hercle auscultabo. ANT. Quo modo?
Colaphis quidem hercle tuom iam dilidam caput,
Nisi aut auscultas aut is in malam crucem.

elidam P et prius *aut* omisit.

Pers. 142 s. Atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest
Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria.

---

[1]) Aliter dicitur, quod tamen comparandum est, Ter. Ad. 942: non omittitis?

Ter. Phorm. 436. Satis iam verborumst: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eiciam
Curc. 535. Nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas,
Quos ego apud te deposivi, vitam propera ponere.
Most. 386. Iam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.

In futuro simplici itidem quaesitum primitus videtur: non ergo?

Men. 662. Nam domum numquam introibis, nisi feres pallam simul.
Trin. 612. CA. Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.
Mil. 449. Immo vi atque invitam, ingratiis,
Nisi voluntate ibi⟨s⟩, rapiam te domum.

Item primitus quaeritur, velitne alter id agere, ut prohibeat, ne fiat malum, quod alter minatur fore: non ergo?

Bacch. 868 s. CL. Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.
Asin. 532 s. Nunc adeo nisi mi huc argenti adfert viginti minas,
Ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Pseud. 228 s. Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur,
Cras, Phoenicium, poenicio corio invises pergulam.

Iam vero cum non in eodem temporis momento agentur res aut cum quid indefinite profertur, attenuata *nisi* vocis vi mera hypotaxis fit.

Mil. 511 s. Nisi mihi supplicium stimuleum de ⟨te⟩ datur,
Dedecoris pleniorem erum faciam tuom,
Mil. 1059. Dixi hoc tibi dudum et nunc dico: nisi huic verri adfertur merces,
Non hic suo seminio quemquam porcellam impertiturust.
Poen. 286. Non enim potis est quaestus fieri, nisi sumptus sequitur, scio:
Rud. 1140. DAE. Non feret, nisi vera dicet: nequiquam ⟨h⟩ariola⟨bi⟩tur.

Coniunctivi cum *nisi* positi vix differunt ab indicativis; deliberativi aut hortativi sunt maxime: nonne ergo sic; itaque nonnumquam additur *ut* primario id quoque sensu, non relativo, sed interrogativo [1]).

---

[1]) Cfr F. Gustafsson, De *ut* particula, Nordisk tidskrift for Filologi, 1892 p. 71 s.

Ter. Ad. 784 s. Quid ego nunc agam?
Nisi, dum haec silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi: s i c agam.
Aul. 364 s. Quos pol ut ego hodie servem, cura maxumast,
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cenam coquant.
Trin. 233. De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam, opinor.
Trin. 1024. Quid ego quod periit petam?
Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper.
Stich. 268. Miror quid siet:
Nisi, ut periclum fiat, visam quid velit.

Concessiva coniunctivo vis nescio an his locis tribuenda sit: posita *nisi* particula minime hypotactica primum ab se abicit qui loquitur cogitationem invisam, deinde admittit: non, verum sic tamen. [1])

Epid. 730. Invitus do hanc veniam tibi,
Nisi necessitate cogar.
Cas. 529. Quid me amare refert, nisi sim doctus ⟨ac⟩ dicaculus.

De his duobus quae sequuntur exemplis dubito, an futuri potius sint temporis.

Pers. 293 s. Atque id fiat,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colapheis.
Aul. 804 s. Nunc seruom esse ubi dicam meum Strobilum non reperio:
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper: postea intro
Hunc subsequar.
v. 805 Guietus exclusit.

In s e c u n d a p e r s o n a hortativa haec primitus fuerunt: non, verum sic:

Truc. 461 s. Nec ullam rem oportet dolose adgrediri.
Nisi astu docte adcurateque exsequare.

In v. 462 Schoellium secutus sum *docte* addentem; *nisi si* Bothe; *exsequere* codices, correxerunt Itali.

Ter. Heaut. 658. [2]) SO. Nescio, nisi ex ipsa quaeras, unde hunc habuerit.
nisi ut minore codicum auctoritate utitur, neque tamen per se excludendum est.

In a o r i s t o tamquam pro certo minatur qui loquitur; ibi vero nimis langueret condicio, sicut de *si* vidimus: non, verum hac in re; non, ego iam.

---

[1]) Aliter nimirum H. Blase, Studien und Kritiken zur lateinischen Syntax, Mainz progr. I 1904 p. 52, et II 1905 p. 40.

[2]) Cfr Cl. Lindskog, De enunt. ap. Plaut. et Ter. condic p. 132.

Poen. 887. Numquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior,
Nisi ero uni meo indicasso.
Most. 192 s. Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu.
Pers. 218. PAE. Nisi sciero prius ex te, tu ex me numquam hoc quod rogitas scies.

In secunda aoristi persona hortantis parataxis sine dubio primigenia fuit, quae in tertia persona iam obscurata est.

Epid. 728.[1] Numquam hercle hodie, nisi me orassis, solves.
Ter. Andr. 565. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
Asin. 485 s. LE. Quid, verbero? ain tu, furcifer? erum nos fugitare censes?
I nunc iam ad erum, quo vocas, iamdudum quo volebas.
ME. Nunc demum? tamen numquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare iusserit Demaenetus. LE. Ita facito: age ambula ergo.

Ex primigenia indignantis interrogatione vel exclamatione haec explicanda mihi videntur; *nisi* fuit: non, verum sic (agebas).

Bacch. 563 s. Quid? Tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa quam ego mandassem tibi
Occiperes tute ⟨etiam⟩ amare et mi ires consultum male?
etiam optime addidit Seyff., *me* codices et Keil, *mi* Ritschl.

Bacch. 479 s. Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas, labra a labris nusquam auferat?
Ter. Andr. 647 s. Nonne tibi sat esse hoc visum solidumst gaudium,
Nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres.
ni inter alios Dziatzko.

Addo nonnulla, ubi decurtata est grammatica enuntiati forma neque tamen *nisi* particulae primaria vis prorsus attenuata: non, (sic) tantum; vel: nonne ergo?

Pers. 132 s. SA. Me ut quisquam norit nisi ille qui praebet cibum?
TO. Itast. hoc tu mihi reperire argentum potes.
SA. Cupio hercle. TO. Tum tu me sine illam uendere.
Mil. 1138. MI. Neminem pol video nisi hunc, quem volumus conventum. PA. Et ego vos.

---

[1] Quamquam hunc versum Lindskog (l. comm. p. 16) secutus Muellerum damnat.

Pers. 635 s. DO. At ego patriam te rogo quae sit tua.
VI. Quae mihi sit nisi haec ubi nunc sum? DO. At ego illam quaero quae fuit.
Mil. 300. PA. Pergin, infelix? SC. Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
Pers. 94. Nil⟨i⟩ sunt crudae, nisi quas madidas gluttias.
Bacch. 368 s. Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro:
Nam equidem hanc aliter esse duco: quippe quo nemo advenit
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet.

Neque in his ulla est condicio subordinata, sed addita correctio:

Pers. 517. Ego tantumdem scio quantum tu, nisi quod pellegi prior.
Pers. 545 s. DO. Haecine illast furtiva virgo? TO. Iuxta tecum aeque scio,
Nisi quia specie quidem edepol liberalist, quisquis est.
Mil. 424 s. PH. Quicum tu fabulare?
SC. Quicum nisi tecum? PH. Quis tu homo's? aut mecum quid est negoti?

Et praecipue huius modi locis qui sequuntur correctio illa primigenia fuit: non, (verum sic) tantum.

Mii. 1246. Nam nulli mortali scio obtigisse hoc nisi duobus.
Mil. 340 . . . PA. Neque solarium neque hortum nisi per inpluvium? ⟨SC.⟩ Scio.
Mil. 378 s. Nam certo neque solariumst apud nos neque hortus ullus
Neque fenestra nisi cla⟨t⟩rata. nam certe ego te hic intus vidi.
Mil. 802. Qui nisi adulterio studiosus rei nulli aliaest inprobus.
Mil. 23 s. Me sibi habeto, ei ego me mancupio dabo:
Nisi unum: epityrum estur insanum bene.
Most. 278. Quid olant, nescias, nisi id unum, ut male olere intellegas.

Nisi si primitus, coniunctis tamen *ni* et *si* vocibus, potuit esse: non ita, (verum) sic est; neque tamen ortum esse in hypotaxi negaverim, post quam prorsus in unum coaluerit *nisi*, et antecedente *nisi* saepe *si* esse vere hypotacticum. Vestigia certe parataxeos (sic est), nonnumquam adgnosco. Neque coniunctionem verisimile est condicionalem et hypotacticam repetitam esse, quod multo fuit probabilius in adfirmativo sensu et in parataxi, sicut ex *quam! quam!* et ex *ut! ut!* non ex relativis exstiterunt novae particulae.

Men. 247 s. MES. In scirpo nodum quaeris; quin nos hinc domum
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus.

His quoque locis quod quis loquitur ipse addubitat et se ipse corrigit: nusquam est, nulla causa fit; non ita, verum sic; vel num ergo? Plurima exempla respondent iis, ubi solum *nisi* positum vidimus (non, sic; num.) [1])

Epid. 22 s. EP. Sed ubist is? TH. Advenit simul. EP. Ubi is ergost? nisi si in vidulo
Aut si in mellina attulisti. TH. Di te perdant.

adveni et *egost* P. De hoc versu cfr L. Havet Rev. phil. anc. 1907, 33 p. 7.

Ter. Eun. 159 s. Ego excludor, ille recipitur. qua gratia?
Nisi si illum plus quam me amas et istum nunc times.

Prorsus similia exempla sunt

Ter. Eun. 523 s. Haec quor quaeriter?
Nisi si illa forte quae olim periit parvola
Soror hanc intendit esse, uti est audacia.

Ter. Andr. 249. Quam ob rem? nisi si id est . . .

Ter. Eun. 796. Pamphilam ergo huc redde, nisi si mavis vi eripi.

Truc. 781 s. . . . Ne duplicis habeatis linguas, ne ego bilinguis vos necem,
Nisi si ad tintinnaculos uoltis vos educi viros.

nesi si codd.

Truc. 669 s. STR. Mirum videtur rure erilem filium
Strabacem non redisse: nisi si clanculum
Conlapsus est hic in corruptelam suam.

rurier item filium codd.

Ter. Eun. 661 s. PH. Nequeo mirari satis,
Quo ille hinc abire ignavos possit longius, nisi si domum
Forte ad nos rediit. PY. Vise amabo, num sit. PH. Iam faxo scies.

Amph. 825. <SO.> Nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiamst.
Amphitruo alius.

alius Amph. Leo.

Most. 769. Nec mi umbra hic usquamst, nisi si in puteo quaepiamst.

---

[1]) Cfr J. H. Schmalz, Latein. Gramm. ed. 4 p. 589 et Lindsay in gramm. Plautina p. 104, qui vix recte: an additional suggestion of uncertainty; it is formed on the type of *nisi ut, nisi quod, nisi quia;* the substitution of *si* for *ut* or *quod* or *quia* adds a fresh element of doubt. Immo quasi certam rem sibi vivide fingit, qui *nisi si* dicit.

Curc. 51 s. Tam a me pudicast quasi soror mea sit, nisi [1])
Sist osculando quidpiam inpudicior.

Ter. Eun. 901 s. CH. Non faciam, Pythia's. PY. Non credo, Chaerea,
Nisi si commissum non erit.

Rud. 580 s. SC. Eluas tu anne exunguare, ciccum non interduim.
Tibi ego numquam quicquam credam nisi si accepto pignore.
tu anne P:, *tu an* B, *tua ne* CD, *interdum* P.

Hoc qui sequitur loco ita per se stant *nisi si*, ut utrum ad antecedentia an ad sequentia referenda sint, in dubio sit

Ter. Ad. 594. Nisi si me in illo creditis esse hominum numero, qui ita putant . . .

De *nisi* particulae cum *nisi si* cognatione conferendus hic locus est (vide pag. 11). [2])

Capt. 529 s. Neque iam Salus servare, si uolt, me potest, nec copia est,
Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Qua⟨m⟩, malum? quid machinor? quid comminiscar?

Hypotaxin fere iam haec exempla, ex inscriptionibus sumpta, prae se ferunt.

(914) C. I. L. I. 198. XXIII, XXIV, XXV (37) nisei sei quae causa erit.
1059 (C. I. L. I. 205, XXXII) . . . et nisei sei Mutinae ea res agetur neive quis . . .
Cat. agr. 138 [3]) mulis, equis, asinis feriae nullae, nisi si in familia sunt.

Ut *nisi,* sic *nisi si* antecedens ad condicionalem hypotaxin vergit:

Pers. 833. TO. Agite hunc sultis ludificemus. ⟨LE.⟩ Nisi si dignust, non opust:
sultis hunc, transposuit Guietus

Simile est

Ter. Heaut. 391. Nisi si prospectum interea aliquid est, desertae vivimus.

---

[1]) De *nisi* in fine versus posito cfr G. Appuhn, Quaestiones Plautinae, Marburg 1893, et eo de libro O. Seyffert in Annal. Burs. 1895 LXXX p. 285 s.

[2]) Et conferatur L Havet Rev. phil. anc. 1901, 25 p. 100 s.

[3]) Cfr O. Altenburg in Annal. Fleckeis. 1890. Suppl. XXIV. Aliquanto plura apud Varonem inveni.

Ni, quod praetereuntes tractabimus, ex paratactica particula abiisse in condicionalem coniunctionem constat[1]. Antiquioris usus haud pauca sunt exempla Plautina, in quibus qui *ni* particula utitur summa vi aliquid negat. Et seiungenda sunt *quid* (ais) et *ni* (egone non).

Mil. 923. Populi odium quid ni noverim, magnidicum, cincinnatum.
Pseud. 652. PS. Quid ego ni teneam? HA. Dato istunc sumbolum ergo illi. PS. Licet.
Mil. 1120. PY. Itan[e] tu censes? PA. Quid ego ni ita censeam.
Mil. 1311. PA. Quid modi f<l>endo quaeso hodie facies? PH. Quid ego ni fleam?

Hoc loco et iis qui antecedunt ne quis hypotactica ratione nimis imbutus sic interpretetur: quid ego agam, nisi fleam, prohibetur alio loco:

Capt. 135 egone illum non fleam, ego non defleam.

Et simillimum est *ni* in *quippe ni,* cuius sine verbo positi exempla multa sunt[2], cum verbo hoc saltem loco ponitur:

Pseud. 917 s. <SI.> Quippe ego te ni contemnam,
Stratioticus homo qui cluear?
me pro *ni* A.

Ni quia acriorem significat negationem — *quid ni* contrarium est vocibus *quid si,* quibus adfirmatio exprimitur — cum aoristo ponitur, prohibitivo potissimum sensu est explicandum: minime id fiat, vel: id ne fiat, ergo. *Primae personae* sunt:

Most. 212. Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.
Most. 222 s.[3] Di<vi> me faciant quod volunt, ni ob istam orationem
Te liberasso denuo et ni Scapham enicasso.
Pseud. 520. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
Truc. 306 s. STR. Ain tu vero veteres lateres ruere? numquam edepol mihi

---

[1] De *ni* vocis origine quamquam dubitatur, de significatione eius constat, cfr B. Delbrück, Vergl. Syntax II p. 524 s. 535 atque K. Brugmann Indog. Forsch. XXIV 1909 p. 79 s. De graeco νι nuperrime F. Solmsen in Mus. Rhen. LXV p. 325 not. Egregie O. Brugmann rem egit, de quo postea.

[2] Cfr F. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, Leipzig 1880 p. 123 s. et inter alios O. Wichmann, De *qui* ablativo antiquo, Vratisl. 1875, 32; T. Frank, in Classical Philology 1908 III p. 19 s., Lindsay Plautin. synt. p. 108, dum ne tmesin hac in re dicat.

[3] Plauti esse negaverunt Lorenz in ed. sua et G. Götz in Act. societ. phil. Lips. VI 251 s. Posterius exemplum propter *et ni* mihi dubium videtur, Ladewigius sicut prius alteri recensioni tribuit (Philol. XVII p. 465).

Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit,
Ni ego ero maiori vostra facta denarravero.

ni esse ego vestra ero amari P.

Men. 471 s. Non hercle ⟨ego⟩ is sum qui sum, ni hanc iniuriam
Meque ultus pulcre fuero. observa quid dabo.

ego Ritschl addidit.

Quod si antecedit *ni,* idem fere est atque: immo, ut hoc loco: immo eludam, aliter in me culpam imponito; hoc perspicuum erit, si pausam orationis post *ni* finxerimus: nein.

Mil. 926 s. Ni ludificata lepide
Ero, culpam omnem in me inponito. PA. Age igitur intro abite.

Praesenti tempori reique verae aut sensui ardenti haud multo minus vis illa convenit, ut in proximo exemplo *nunc* additur.

Ter. Ad. 700. Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te quam oculos nunc amo meos,

Bacch. 504. Nam mihi divini numquam quisquam creduat, ni ego illam exemplis plurumis planeque amo.

Stich. 401. Nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.

Men. 846 s. enim haereo.
⟨ME.⟩ Ni occupo aliquod mihi consilium, hi domum me ad se auferent.

In quibusdam aliis exemplis, praecedente tum quoque *nam ni,* summa vi metum exprimit qui loquitur: ergo non? Sunt autem Bacch. 857, Capt. 102, Asin 917. Huc referendum est

Rud. 1070 ni istum cepi, nulla causast quin me condones cruci.

Secundam personam ad eandem fere vim exprimendam adhiberi non est quod mireris, quamquam interrogationis forma potius exclamatio vel imperium profertur, praesenti praesertim tempore.

Mil. 162 s. Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat: disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.

Mil. 156 s. PE. Ni hercle diffregeritis talos posthac, quemque in tegulis
Videritis alienum, ego vostra faciam latera lorea.

Rud. 731 s. Vos adeo, ubi ego innuero vobis, ni ei caput exoculassitis,
Quasi murteta iuncis item ego [vos] virgis circumvinciam.

nisi minore codicum auctoritate, *iunci* Leo, Lindsay.

Truc. 286. Abire hinc ni properas grandi gradu,
Iam hercle ego istos fictos comptos crispos cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro exvellam.

P. *propera,* fortasse recte, *istoc, expellam,* omisit *hercle.*

Rud. 1008. Iam ego te hic, itidem quasi peniculus nouos exurgeri solet,
Ni hunc amittis, exurgebo quicquid umoris tibist.
ego omittit A, *ego iam* P, *penicillus* P corr. Guietus.

Pers. 827. DO. Malum ego vobis dabo, ni[si] abitis. TO. Etiam mu<t>tis, impudens?
ni Reizius, Ritschl, ceteri.

In *tertia persona* non tam vehementer elatae *ni* vocis exempla repperi.

Asin. 670. Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
Pers. 839 s. [1]) Sed ita pars libertinorumst: nisi patrono qui aduorsatust
Nec satis liber sibi videtur nec satis frugi nec sat honestus:
Ni id effecit, ni ei male dixit, ni grato ingratus repertust.

Coniunctivus non abhorret a cetero usu paratactico; est fere indignantis interrogatio: egone non?

Pers. 296 s. SA. Qui te di deaeque — scis quid hinc porro dicturus fuerim,
Ni linguae moderari queam. potin abeas? PAE. Abigis facile.
Mil. 1284 s. PL. Alium alio pacto propter amorem ni sciam
Fecisse multa nequiter, verear magis.
nesciam codices.

Parataxin hoc loco, de quo multa verba facta sint, testatur temporum differentia; primitus fuit: minime, metuamne?

Aul. 523. Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat.
Ter. Andr. 918. PA. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
Trin. 248. . . . non satis id est mali, ni etiam amplius . . .
sat et *amplius etiam* P.

Ter. Phorm. 546. Sed parumnest [2]), quod omnibus nunc nobis suscenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
Merc. 692 s. Parumme est malae rei quod amat Demipho,
Ni sumptuosus insuper etiam siet?

---

[1]) De hoc versu cfr O. Brugmann, Ueber den Gebrauch des condiconalen *ni* Leipzig 1887 p. 19, cui tamen non adsentior.

[2]) De hoc usu et simili cfr H. Blase, Comment. in honor. G. Studemund. Strassburg 1889 p. 47 et quae addit G. Landgraf in Arch. Woelffl. 1889 VI p. 287 et rursus Blase, Stud. u. Kritik. I Mainz 1904, p. 32, 33, 35, II p. 40, 42. Quos tamen ne parataxi favere putes, cfr Deutsch. Litter. Zeit. 1909, 1118 et quae post respondenti mihi allata sunt.

Ter. Phorm. 543. Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali
Ni etiam nunc me huius causa quaerere in malo iubeas crucem.

Similia Ter. Eun. 1013 s. et Andr. 648 (ubi *ni* scribendum).

Trin. 25 s. Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia,
Invitus, ni id me invitet ut faciam fides.

Hoc loco, qui coniecturis mirum quantum vexatus est, hortativam parataxin adgnosco: minime, verum abeas.

Bacch. 1171 s. BA. Senex optume, quantumst in terra, sine ⟨me⟩hoc exorare aps te.
. . . NI. Ni abeas, quamquam tu bella's,
malum tibi magnum dabo iam. BA. Patiar.

me addid. Ritschl; *nisi* PCD; *abaetis* O. Brugmann, ut evitaret coniunctivum.

Et ex *optativo* haec quae sequuntur primitus videntur exorta: *nam ni* fuit: utinam ne.

Aul. 742 deos credo voluisse; nam ni uellent, non fieret, scio.
Bacch. 554 beneuolens vivit tibi; nam ni ita esset, tecum orarem, ut . . .
Ter. Phorm. 269 nam ni haec ita essent, cum illo haud stares, Phaedria.

Ceterum in *imperfecto* et *plusquamperfecto coniunctivo* indignantium vel exclamantium sensus primum primitus videntur tenuisse locum: nein!

Ter. Heaut. 916. Quod res dedere, ubi possem persentiscere,
Ni essem lapis!
Mil. 52 s. AR. Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras?
Trin. 173. Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes.
Stich. 510. Vocem ego te ad me ad cenam, frater tuos ni dixisset mihi,
Te apud se cenaturum esse hodie.

ni A, *nisi* ceteri codices, item O. Brugmann.

Etiam in pigneratione antiquae parataxeos vestigia exstant. Hoc, quem iam adfero loco, alteri qui adfirmat rem ita esse ut dicit *(si lubido est perdere),* eum simul et hortatur, ut det pignus, et ipse monet, ne det; *ni* est fere: minime, cave, nam.

Pers. 186 s. TO. Non edepol scis. PAE. Da hercle pignus, ni omnia memini et scio,
Et quidem si scis tute quot hodie habeas digitos in manu.
TO. Egon dem pignus tecum? PAE. Audacter, si lubidost perdere.

In hoc autem quod sequitur exemplo, primum tamquam dubitanter dicitur *ni sit* (sollte es nicht sein), deinde conceditur alteri: non ergo est [1]).

Epid. 699 s. EP. Aio. uel da pignus, ni ea sit filia.
PE. Quam negat novisse mater. EP. ni ergo matris filiast,
In meum nummum, in tuom talentum pignus da.

Poen. 1242. Da pignus, ni nunc perieres, in savium, uter utri det.
perieras O. Brugmann.

Truc. 275. Pignus da, ni ligneae haec sint quas habes Victorias.
hae sint A, *hic sunt* P et O. Brugmann.

In vetustiore sermone, legum praesertim, nativa vis *ni* particulae maxime perspicua est in contrariis enuntiatis proferendis, ut in duodecim tabulis, quarum iam exempla attuleram (Parat. lat. I, p. 8); hic repeto

Tab. I fr. 1. si in ius vocat, ito; ni it, antestator; igitur eum capito.
III fr. 2. si volet, suo vivito; ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato.

His locis et mera negandi vis apparet et initium hypotacticae rationis oppositis potissimum membris orationis effectum, de quo postea plura dicemus. [2]).

Magis abrupte ponitur *ni* quam *nisi,* ideoque durius et vehementius nescio an visum sit cogitationum vel potius sensuum vinculum. Quae tamen in consuetudine loquendi, in hypotaxi praesertim, facile misceri vix est quod moneam. Aliquid tamen discriminis remansisse haec duo exemplorum paria mihi videntur docere. Curculionis loco priore *(nisi)* futuram rem minatur Therapontigonus, posteriore *(ni)* loco iam in eo est, ut rem perficiat. Amphitruonis locis aut de re *(ni)* agitur aut de voluntate *(nisi).* Metro quoque hac in re, ut in ceteris, sine dubio multum tribuit Plautus.

Curc. 718. TH. Tu autem in nervo iam iacebis, nisi mi argentum redditur.

Curc. 723. TH. Ego te in neruom, haud ad praetorem hinc rapiam, ni argentum refers.
nervo codices.

---

[1]) *east* contra libros vix recte O. Brugmann, Ueber den Gebrauch des condicionalen *ni* in der älteren Latinität, Leipzig 1887, p. 8. Is ceterum relictis Tursellini Handiani vestigiis hanc omnen rem plurimis partibus expedivit et absolvit; ex Varrone nonnulla addidit J. H. Schmalz in Arch. Woelffl. 1887, IV p. 334.

[2]) „Dass in den zwölf Tafeln Parataxe vorliegt, davon bin ich fest überzeugt" recte O. Brugmann de *ni* locutus (p. 29).

Amph. 440. Nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
Amph. 360. Vide sis quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.

Similia in Amph. 793 nisi apparet, Asin. 471 ni isti (praesenti) dicis. Et fortiora *ni* inducit, ut Asin. 475 ni percies, 706 tolutim ni badizas, Bacch. 857 ni exsolvor, Rud 1008 ni hunc amittis.

Post *mirum (est)* optime convenit interrogari, quod variis modis fieri apud Plautum vel paucis [1]) sufficit exemplis docere, ubi parataxin primigeniam equidem adgnosco; in ultimo exemplo vera iam est hypotaxis.

Epid. 414. PE. Mirum hoc, qui potuit fieri.
Mil. 377. Nimis mirumst facinus, quo modo haec hinc huc transire potuit.
Mil. 418. Sed facinus mirumst, quo modo haec hi⟨n⟩c huc transire potu[er]it.

Versum restituit Ritschl.

Men. 1046. Socer et medicus me insanire aiebant. quid sit, mira sunt. [2])

dicebant codices, correxit Camerarius.

Amph. 750 [3]). Mirum, quin te aduorsus dicat.
Trin. 967. Mirum, quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
Stich. 675 s. Mirum videri nemini vostrum volo, spectatores,
Quid ego hinc quae illic habito exeam: faciam vos certiores.

Exclamantis quae sequuntur esse vel huius modi exempla primitus videntur fuisse:

Mil. 1224. Permirum ecastor praedicas, te a[u]disse atque exorasse.
Truc. 205. Iam hic adfuturum aiunt eum: nondum advenisse miror.

Si, nisi et *ni* hac in re ponuntur, ac *si* quidem, ut significet certa in re aliquem mirari [4]), quod in parataxi primitus dictum esse ex nonnullis exemplis iure mihi videor concludere; *si* fuit: sic est ergo, iam. Et salva sententia plerumque omitti poterat.

---

[1]) Cfr E. Becker in Studiis Studemund. I p. 225 s.

[2]) De *mirum* et plurali *mira* cfr J. Ax, De anacoluthis Plautinis Terentianisque, Monast. 1908, p. 28, 33, quae ex eodem contextu adfert *vera . . . id*, *rem . . . quae* (plur.), *quid . . . ea, vera . . . verum, vera . . . falsum.*

[3]) De *mirum quin* cfr H. Schnoor, Quaestiones Plautinae, Kiliae 1878 p. 37 s.

[4]) Cfr J. H. Schmalz Latein. Gramm. 4 ed. p. 588.

Truc. 305. AST. Nil mirum — vetus est maceria — lateres si veteres ruont.

non et *macere* P, *etus* A.

Amph. 28 s. Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est aequom, sibi si praetimet.

Mil. 1041 s. MI. Ecastor haud mirum, si te habes carum,
Hominem tam pulcrum et praeclarum virtute et forma ⟨et⟩ factis.

Curc. 265. Nihil est mirandum, melius si nihil fit tibi.

sit PE. Aliter F. Gaffiot, Ecqui fuerit *si* particulae in interrogando latine usus, Paris 1904 p. 49 s.

Capt. 545. Edepol minume miror, si te fugitat aut oculos tuos
Aut si te odit . . . . .

Petron. 90. Itaque non miror, si te populus lapidibus persequitur. ego quoque sinum meum saxis onerabo.

Cas. 191. Mira sunt, vera si praedicas.

Amph. 771 s. AM. Secede huc tu, Sosia.
Enim vero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet [pateram] illam. SO. An etiam credis id, quae in hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur? AM. Saluom signumst? SO. Inspice.

Simile loquendi genus hoc loco est:

Pseud. 434 s. Quid nouom, adulescens homo
Si amat, si amicam liberat?

Haec fere omnia *praesenti* re, sicut *tempore* aguntur; in *futuro* haud secus demonstrativum ponitur *si*: iam.

Pers. 619. DO. Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur.

Neque *praeterita* desunt, ubi similiter *si* dicatur. Primo loco iam ex diversis temporibus primigenia elucet parataxis; *si* est: ergo, re vera, certe.

Mil. 1326. PA. Nam nil miror, si lubenter, Philocomasium, hic eras.

Ter. Hec. 709. Non mirum fecit uxor, si hoc aeque tulit.

Conferendus denique hic locus est, ubi quam parum altera sententia alteri sit subiuncta, vel ex eo apparet, quod mutari earum ratio potest: certe deos decepit, si lenonum more fecit. Et cfr Paratact. lat. I p. 21 Asin. 272 et Amph. 198.

Rud. 345 s. Pol haud miranda facta dicis:
Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.

Indignantis sive interrogantis hi sunt *coniunctivi; si tu* est *tune vero*.

Ter. Phorm. 490. Mirabar, si tu mihi quicquam adferres novi.
Ter. Andr. 175 s. DA. Mirabar, hoc si sic abiret, et eri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet.

Nisi, sicut multis iam locis vidimus, se corrigentis est, non condicionem proponentis: non, verum sic est.

Amph. 283. Mira sunt, nisi invitavit sese in cena plusculum.
Amph. 431. Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea.
Poen. 839. Omnia edepol mira sunt, nisi erus hunc heredem facit.

Idem agere *nisi si* iam vidimus (p. 17) et idem maiore vi agit *ni:* minime nam, immo, „nein“.

Bacch. 450. Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.
Pseud. 1216. Sumbolum qui ab hoc accepit, mira sunt, ni Pseudolust.
ni omisit P.
Trin. 816 s. Quam magis specto, minus placet mihi haec hominis facies: mira sunt,
Ni illic homost aut dormitator aut sector zonarius.
Loca contemplat, circumspectat sese atque aedis noscitat.
Capt. 824. Mirumque adeost, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.
Cas. 554. Atque edepol mirum, ni subolet iam hoc huic vicinae meae.
Capt. 805. HE. Mira edepol sunt, ni hic in ventrem sumpsit confidentiam.
Amph. 319. Mirum, ni hic me quasi murenam exossuare cogitat.
ne et *exossare* libri plerique; *exdorsuare* ex Weicherti coniectura multi ediderunt.

Ni mirum unicum hoc est Plautinum, Langeno et Leoni suspectum, apud Terentium usitatius tamquam unum verbum; *ni* videtur fuisse: minime [1]).

Aulul. 393. Ni mirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere.
Ter. Eun. 508. Ni mirum dabit haec Thais mihi magnum malum.

Neque absonum est simili in re *nisi:* non hac in causa.

Pseud. 1213. SI. Tu, nisi mirumst, leno, plane perdidisti mulierem.

---

[1]) Item video Donatum ad Eunuchi locum *ni* explicasse: solve *nimirum* et fac *non est mirum* et statim consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia, quasi dixerit *non est mirum* et subdistinctione interposita mox intulerit *dabit haec Thais mihi magnum malum*. Haec qui attulit, O. Brugmann (l. comm. p. 19) probat, ipse tamen vertit: w e n n kein Wunder vorliegt; hypotactice ille quidem, verum Donatus et, ni fallor, ipse Terentius parataxin sentiebant.

Recte admonuit O. Brugmann [1]) *mira sunt, ni* non esse apud Terentium; id ideo fit, ni fallor, quod minus parataxi favet quam Plautus. Pluralis certe ille *mira* sequente singulari *ni est* paratacticus est: alle Wunder, doch nein.

Quasi, quod ex *quam* et *si* compositum videtur [2]), vetusta iam aetate coniunctio fuit. Itaque in inscriptionibus ad antiquiorem quandam, quamvis unam formam expressis vix paratacticum usum adgnoscas, itidem in *quasi si, tamquam si (si), ut si.*

920. C. I. L. T. 200. XXVI, XXVII, XXVIII, 27. De eo agro siremps lex esto, quan sei is ager . . .
912. 197. XIX 13. siremps lexs esto, quasei sei is haace lege.
988. 202. XXIX 39. iuus lexque esto, quasei sei ei viatores in eam decuriam in tribus viatoribus antea lectei sublectei essent.
932. 571. LXV. tamqua sei sei ludos fecissent.
920. 200. XXVI, XXVII, XXVIII 52. fruaturque idem utei sei is ager.

Contra si Plautum adgredimur, plura vividi sermonis vestigia praebentem, quaedam loquendi genera e parataxi potius videntur explicanda. Ac primum tenendum est apud Plautum *quam* saepius esse interrogantis, ut his locis, ne plura nota in re moliar.

Pers. 139. SAT . . . Posterius istuc tamen potest. TO. Scin quam potest?
Pers. 623. Vt sapiens habet cor: quam dicit quod opust.
Stich. 570. Ut epilogum fecit, quam fabre!

Paratactice non dubito quin huius modi locis *quam* primitus sit positum, ubi *quam si* exspectares: wie sollte ich? wie, sollte ich so?

Rud. 1042. Fiat istuc potius, quam nunc pugnem tecum.
istac Seyffert.

Aul. 661 s. Emortuom ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni.

Contra ubi *quam* desideres, *sic* ponitur:

Amph. 201. Sed quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo hic meditari: sic hoc proloquar.

[1]) l. comm. p. 18.

[2]) De forma vocis vide F. Stolz, Histor. Gramm. der lat. Spr. I 130 et Lindsay in Annal. Bursian. 1907 II p. 197 s., de usu eius J. H. Schmalz Lat. Gramm. 4 ed. p. 593 s., Lindsay in Gramm. Plautin. p. 105 s. et R. Frobenius, Die Syntax des Ennius, 1910 p. 108.

Quasi primigenium idem indicavit atque: quam? sic; quam? ergo, vel: quam sic? wie so? Cuius usus primigenii haec nescio an vestigia putanda sint, ubi *coniunctivus* est mirantis vel indignantis.

Most. 1178. TR. Quid gravaris? quasi non cras iam commeream aliam noxiam.

Ter. Ad. 271. AE. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.

In secunda persona haud minus eundem usum discernas:

Poen. 875. MI. Quid iam. SY. Quasi tu ⟨uero⟩ tacere quicquam potis sis.

Ter. Andr. 890. Quid mi pater? Quasi tu huius indigeas patris.

vero om. P.

Hoc loco nisi ellipsi durissima adhibita coniunctionem esse haud intellegas. Immo hoc est: wie so, willst du sagen? Item *quasi tu dicas*[1]) Ter. Andr. 502.

Rud. 98 s. SC. Qui nominat me? DAE. Qui pro te argentum dedit.
SC. Quasi me tuom esse seruom dicas, Daemones.

Curc. 78 s. PA. Quasi tu lagoenam dicas, ubi vinum Chium
Solet esse.

Amph. 682 s. AL. Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris . . .

Prorsus eadem tertiae personae ratio est nonnumquam etiam nunc, ut

Rud. 339 s. (AM). Sed Plesidippus tuos erus ubi amabo est? TR. Heia vero,
Quasi non sit intus. AM. Neque pol est neque huc quidem ullus venit.

Ter. Andr. 543 s. Ah ne me obsecra,
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.

His vero locis, ubi de cogitata vel potius de fingenda re agitur, hypotaxis magis est perspicua.

Mil. 1034 s. PY. Iube adire. PA. At scin quid tu facias? face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat: me inclamato, quia sic te uolgo uolgem.

facite B, *facito* alii, fortasse rectius.

---

[1]) De hoc usu L. Havet Rev. phil. anc. XXXI 1907 p. 275 s.

Mil. 933 s. Hanc ad nos, quom extemplo a foro veniemus, mittito⟨te⟩,
Quasi clanculum ad ⟨eum⟩ missa sit. PE. Faciemus: alia cura.

quam pro *quom* codices.

Mil. 1399. Vt faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.

Et si secunda in persona optativum primigenium adgnoscas in Epidici loco, ibi tamen transitus fit ad aperta simulandi exempla [1]) iam vix paratactica, nisi saepius de hortativo coniunctivo velis cogitare.

Epid. 274. EP. Sic faciundum censeo,
quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia
quasique ames vehementur tu illam. PE. Quam ad rem istuc refert?

Pers. 84. Simulabo quasi non videam: ita alliciam virum.

Mil. 992. Dissimulabo hos quasi non videam neque esse hic etiamdum sciam.

Pers. 676 s. TO. Audin tu, Persa, ubi ab hoc argentum acceperis,
Simulato quasi eas prorsum in navem. SA. Ne doce.

Mil. 1181. adsimulato quasi gubernator sies.

Mil. 1170 s. Ita uolo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam
Quasique eius opulentitatem reverearis.

tuas et *revearis* P.

Mil. 909 s. PA. Quasi militi animum adieceris simulare. ⟨AC.⟩
⟨PA.⟩ Quasique ea res [est] per me interpretem et tuam ancillam ei curetur et cet. eo loco exempla.

(eie)ceretur codices, *ei coeretur* Ribbeck, ceteras codicum turbas tutius expediverunt editores.

Et denuo nata iamque in hypotaxi videntur his locis *quam si* diiuncta.

Trin. 409 s. Non hercle minus diuorse distrahitur cito,
Quam si tu obicias formicis papaverem.

priorem versum omittit P.

Pseud. 102 s. Non pluris refert quam si imbrim in cribrum legas.

ingeras Salmasius.

Pers. 353 s. Non ego inimicitias omnis pluris existumo,
Quam mensa inanis nunc si apponatur mihi.

plure ex Charisio Seyffert.

---

1) De his cfr Ch. E. Bennett in Archiv. Woelffl. XI p. 416 s.

Adverbii fere vicem hoc loco sustinet *quasi;* primitus tamen inverso sensuum ordine nonne fuit: wie so, wie denn.

Capt. 286. Videlicet propter divitias inditum id nomen quasist.

In *indicativo* difficilius *quasi* paratacticum ita explicatur: wie? so.

Stich. 539 s. AN. Fuit olim, quasi ego sum, senex. ei filiae
Duae erant, quasi nunc meae sunt. eae erant duobus nuptae fratribus,
Quasi nunc meae sunt vobis. EP. Miror quo evasurust apologus.

Aul. 595 s. Quasi pueri qui nare discunt scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus:
Eodem modo seruom ratem esse amanti ero aequom censeo,

Pseud. 199 s. cras te, quasi Dircam olim ut memorant duo gnati Iovis
Devinxere ad taurum, item ego te distringam ad carnarium:

item hodie stringam P.

Quasi si ex *nisi si* per analogiam fortasse originem sero duxit iam hypotacticam [1]).

Amph. 1078. nec secus est quasi si ab Acherunte veniam.
Cas. 46. quasi si esset ex se nata, non multo secus.
Capt. 273. nec secus erat quam si essem familiaris filius.

Neque antiquius videtur *tamquam si* vel *tam quasi.* Vocabulis *tam, ita haud magis, non secus* adiuvatur aeque hypotaxis.

Asin. 427. tamquam si claudus sim, cum fustist ambulandum.
Men. 1101. tam quasi me emeris argento, liber servibo tibi.
Most. 400 s. Omnium primumdum aedes iam fac occlusae sient.
Intus cave mu⟨t⟩tire quemquam siveris. PHILO. Curabitur.
TR. Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet. ⟨PHILO.⟩ Licet.
⟨TR.⟩ Neu quisquam responset, quando hasce aedis pultabit senex.

in versu 405 *st* pro *si* codices.

Quam, quod inest in *quasi,* hoc qui sequitur loco primitus *quantum* indicat: quantum? sic est. Quo attenuato paulatim evasit vocis *fere* significatio [2]).

---

[1]) De his vocibus plurima, ut solet, acute profert P. Langen, Beitr. zur Krit. u. Erkl. d. Plaut. p. 320 et 292 s.

[2]) De hac vide Sallustii Historiarum reliquias, quas ed. B. Maurenbrecher, et indicem libri, ubi tres loci ita comparati recte adferuntur.

Most. 622 s. TH. Quod illuc argentum est? TR. Est — huic debet Philolaches
Paullum. TH. Quantillum? TR. Quasi quadraginta minas.
illud codices.

In demonstrativa origine condicionalium sententiarum enucleanda haud obliviscendum est particulae *dum,* cuius usus quin et vere adverbialis maneat et iam hypotaxi serviat iisdem fere modis atque *si*, equidem haud dubito, qua de re satis est ad Lindsayi Syntaxin Plautinam (pag. 127) delegare si quis dubitet. Hoc monendum est, cum *si quidem* comparari posse *dum quidem:* sic vero, tum vero si quidem.

Aul. 209 s. MEG. Quaeso quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EVC. Dum quidem ne quid perconteris, quod [mihi] non lubeat proloqui.

Sin ex *si* et *ne* coniunctis natum esse apparet, quo tempore non dubito quin *si* demonstrativam vim retinuerit. Quod qui concesserit, *ne* utrum negandi an adfirmandi [1]) anne interrogandi vi potissimum fuerit praeditum, vix pro certo dicet. Nam tres illae significationes saepe in unum evadunt ut in aliis sic in latina lingua. Itaque eo quem primum pono loco vel potius simili in dicendi genere *sin* primitus potuit esse *sic non:*, aut *sic vero:,* aut *sicne:*

Merc. 589. Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, animus domist.

Hoc in exemplo interrogative posita aliquando fuisse videntur et *si* et *sin:*

Ter. Hec. 558 s. Roga velitne an non uxorem: si est ut dicat uelle se,
Redde; sin est autem ut nolit, recte ego consului meae.

Hoc rursus loco qui sequitur et proximo negativam originem non prorsus abnuerim *sin* vocis: sic non est, sed aliter.

---

[1]) *si vero* haud iniuria comparat J. Wackernagel, Indogerm. Forsch I 1892 p. 419 s.; cfr P. Persson in secundo eiusdem operis volumine p. 211 s. Ciceronis exempla collegit Kämmerer in progr. a. 1899.

Trin. 713 s. Si mihi tua soror, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur
Sine dote neque tu hinc [h]abituru's, quod meum erit id erit tuom;
Sin aliter animatus es, bene quod agas eveniat tibi.
eueniet codices.

Mil. 887. AC. Si quid faciendumst mulieri male atque malitiose,
Ea sibi inmortalis memoriast meminisse[t] et sempiterna;
Sin bene [aut] quid aut fideliter faciundumst, eo deveniunt
Obliviosae extemp⟨u⟩lo ut fiant, meminisse nequeunt.
faciundum si eadem veniunt codices, veri simillima nescio an Lindsay, quem sequor.

Haec et huius modi, quae in universum dicta sunt, iam ad hypotaxin vergunt, quod hoc in exemplo etiam minus positis sub oculos rebus cernitur.

Men. 577 s. Sist pauper atque haud malus, nequam habetur;
Sin dives malust, is cliens frugi habetur.

Non antecedente *si* aut, si antecedit, non in simili atque *sin* sententia, exsistit dubitatio, quamquam *sicne est* pro *sin* si reponis, ad originem huius usus nescio an proxime accesseris et parataticam rationem agnoveris.

Aul. 589 s. Nam qui ero ex sententia servire seruos postulat
In erum matura, in se sera condecet capessere;
Sin dormitet, ita dormitet, seruom sese ut cogitet.
eri Nonius, *se esse* Müller.

Epid. 543 s. [PHI.] Quid si adeam — PHI. Hauscio an congredias — ⟨PE.⟩ si haec east? PHI. sin is est homo.
Sicut anni multi dubiam dant * * * * * * * *
PE. Longa dies meum incertat animum, sin east quam incerte autumo.
congredias ex Nonio Lindsay, *congrediar* libri; pro *sin* multi utroque loco *si*.

Ter. Andr. 165 s. Sed quid opust verbis? sin eveniat, quod uolo,
In Pamphilo ut nil sit morae, restat Chremes.

quo loco concessivam fere vim induit *sin*, ut esset: licet, ut.

Post vetantis vel indignantis dictum, alter *sin* posito suam vehementer opponit sententiam, ubi de condicione hypotactica et ellipsi absonum est cogitare; immo *sin* magna vi elatum ex vetusto usu haec in se quasi condit et complectitur: immo, sic est; sic vero est, vel: sicne etiam:

Pers. 227. SO. Habes nescio quid. PAE. Ne me attrecta, subigitatrix. SO. Sin te amo?

Similia haec sunt exempla.

Ter. Phorm. 492. PH. Nondum mihi credis? DO. Hariolare. PH. Sin fidem do? DO. Fabulae.

Pseud. 252 s. Vorte hac puere te. PS. Non licet conloqui te?
BA. At mihi non lubet. PS. Sin tuamst quippiam in rem?
BA. Licetne, opescro, bitere an non licet? ⟨PS.⟩ Vah.

te puere codices, Mueller transposuit; *bitere* Lipsius, *vivere* codices, neutrum certum.

Dubium hoc est quod ultimum pono exemplum, ubi *sic* pro *sin* potest accipi, *eo modo* tamen potius significat:

Ter. Phorm. 528. An. Sic hunc decipis? DO. immo enim vero, Antipho, hic me decipit.

Si non[1]) saepius iam vidimus et nunc videbimus posse demonstrative et paratactice explicari, cum pro certa re quod quis timet accipitur, quam nos condicionalem sententiam vocamus; *si* fuit primitus *iam sic est:*

Mil. 526 s. Nunc pol ego metuo, ne quid infuscaverit,
Si hic non videbit mulierem — operitur foris.

Mil. 1417. PE. Quid, si id non faxis? PY. Vt vivam semper intestabilis

semper vivam A.

Ter. Hec. 442. Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?

Ne hoc quidem loco omnis abest paratactica ratio: sic igitur (erit). Subiungo tamen in simili re exemplum apertae hypotaxeos, quae causalis est.

Mil. 1240 s. Obsecrabo. alio modo, si non quibo impetrare,
Consciscam letum: vivere sine illo scio me non posse.

Ter. Andr. 305 s. BY. Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit.

Iam si ex iterato potissimum *si* vel simili vocabulo condicionalis cogitationis repetimus originem, sive eodem ordine sive per

[1]) Cfr Parat. lat. I p. 41.

chiasmum adversativa vi opponuntur *si* vel *si quidem* et *si non,* facillime condicionum cogitatio animum subit, servatis tamen quibusdam antiquioris parataxeos vestigiis, ut his locis: sic re vera, sic vero.

Most. 671 s. TR. Si quidem tu argentum reddituru's, tum bona;
Si redditurus non es, non emit bona
pro *es* P *tu*

Men. 805. SE. Male facit, si istuc facit; si non facit, tu male facis.

Pers. 577 s. Nam heri in portum noctu navis venit: veniri hanc uolo,
Si potest; si non potest, iri hinc uolo quantum potest.
ire P.

Epid. 263. AP. Non edepol faciemus. EP. Immo si placebit, utitor;
Consilium si non placebit, reperitote rectius.

Mil. 266 s. Si invenio qui vidit, ad eum vineam pluteosque agam.
Res paratast: vi pugnandoque hominem caperest certa res.
Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis venaticus
Vsque donec persecutus uolpem ero vestigiis.
quid A, *vineas* P, *pro,* non *ero* A.

Rud. 1043 s. GR. Quamquam ad ignotum arbitrum me a⟨d⟩pellis, si adhibebit fidem,
Etsi ignotust, notus; si non, notus ignotissumust.
etsist ignotus libri.

Antecedit negativa sententia *minus si* (minus sic) hoc loco:

Mil. 875 s. Hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis, denuo uolo percipiatis plane;
Satis si intellegitis, aliud est quod potius fabulemur.

Dissimilis ratio huius qui sequitur exempli est, nempe negativa, quae tamen condicionem tamquam creat:

Ter. Andr. 826 s. Neque modum benignitatis neque quid me ores cogitas;
Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.

Memorabile hoc quoque exemplum incohatae iam hypotaxeos.

Asin. 243. Interii si non invenio ego illas viginti minas;
Et profecto nisi illud perdo argentum, pereundumst mihi.

Hypotactica et relativa *(ubi, quom)* exempla hac quoque in re addenda sunt nonnulla:

Truc. 707. Saluos sum, quia pereo; si non peream, plane perierim
plane perierim Goelzer, *interierim* alii, *pane uriem* codices.

Ter. Eun. 812 s. GN. Immo certe: novi ingenium mulierum:
Nolunt ubi velis; ubi nolis cupiunt ultro.
Epid. 595. Vbi noles pater esse, ibi esto; ubi noles, ne fueris pater.
Ter. Ad. 737 s. Placet tibi factum, Micio? MI. Non, si queam
Mutare; nunc quom non queo, animo aequo fero.

Duo *si* cum contraria in orationem inducunt, etiam non posito *non* haud secus condicionalem rationem et hypotaxin adiuvant.

Mil. 306 s. Nunc si indicium facio, interii; si taceo, ⟨interii⟩ tamen,
Si hoc palam fuerit. Quid peius muliere aut audacius?
interii addidit Camerarius, ante *si taceo* alii.

Mil. 296 s. SC. Qui vero dupliciter? PA. [hic] Dic[t]am tibi.
Primumdum, si falso[m] insimulas Philocomasium, hoc perieris;
Iterum, si id verumst, tu ei custos additus perieris.
periveris Lindsay.

Curc. 513 s. CV. Indignis si male dicitur, male dictum id esse dico;
Verum si dignis dicitur, bene dictumst meo quidem animo.
duco Lambinus.

His qui sequuntur locis *si* interrogantis primitus fuisse existimo, nisi secundo loco optativi vim extollit (s i c p o t i u s obsequaris).

Most. 239 s. PHILE. Si quid tu in illum bene uoles loqui, id loqui licebit;
Nec recte si illi dixeris, iam ecastor vapulabis.
Amph. 703 s. (SO.). Non tu scis? Bacchae bacchanti si velis aduorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet saepius;
Si opsequare, una resolvas plaga. AM. At pol qui certa res
Hanc est obiurgare . . .
rem solvas Pistor.

Absolutis a d v e r s a t i v i s exemplis c o p u l a t i v u m adfero.

Mil. 1014 s. MI. Tum pol ego id quod celo hau celo. PA. Immo et celas et non celas.
⟨MI.⟩ Quo argumento? ⟨PA.⟩ Infidos celas; ego sum tibi firme fidus.
immo etiam sed non celas P

D i s i u n c t i v a illa sunt, quae paratactica prima adferam, quae ad condicionalem rationem omnia ducunt.

Rud. 1068 s. (GR.) Habeo, non habeo: quid tu me curas quid rerum geram?
TR. Quo modo habeas, id refert, iurene anne iniuria.
eri id refert Havet.

Simile hoc Tullianum est:

Cic ad Att. I. 14, 4 . . . aperte tecte . . .
Ter. Heaut. 643. Melius, peius, prosit, obsit, nil vident . . .
Ter. Eun. 476. Fac periclum in litteris, fac in palaestra in musicis . . .
Ter. Phorm. 951. Nolo, volo, volo, nolo rursum: cape cedo.
Petron. 71. Horologium in medio, ut quisquis horas inspiciet, velit nolit, nomen meum legat.

Quocum hunc locum confer

Trin. 361. ⟨LY.⟩ Ne opprobra, pater: multa eveniunt homini quae uolt, quae neuolt.
exprobra A et *non volt*

Si posito vis paratactica haud raro remanet (sic: aut sic:) ut hoc loco:

Pseud. 112 s. PS. Satin est si hanc hodie mulierem efficio tibi
Tua ut sit aut si tibi do viginti minas?

Et ex parataxi simillima in re *vel* explicandum est.[1]

Mil. 1019. (MI). Sed hic numquis adest? PA. Vel adest vel non. MI. Cedo te mihi solae solum [esse].
vel est B

Rud. 582. Tu vel suda vel peri algu vel tu aegrota vel vale,
Barbarum hospitem mihi in aedes nil moror: sat litiumst.

Mil. 666 s. Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi
Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum.
convivium, hinc indidam libri

Rud. 427. Nunc, quam ob rem huc sum missa, amabo vel tu mi aias vel neges.

Pseud. 271 s. PS. Di te deaeque ament vel huius arbitratu vel meo;
Vel, si dignu's alio pacto, neque ament nec faciant bene.

Ter. Andr. 679 s. Parum succedit quod ago, at facio sedulo;
Vel melius tute reperi, me missum face.

Si huius modi locis non sine demonstrativa vi ponitur (so ist es denn), neque dubium est quin ad eandem originem *sive* et *seu* ascendant.

Rud. 1256. GR. At ego deos quaeso, ut quidquid in illo vidulost,
Si aurum, si argentumst, omne id ut fiat cinis.

---

[1] Cfr J. H. Schmalz Latein. Gramm. 4 ed. p. 502 s. et lexicon Waldei. De *vel* et *sive* consulatur C. F. W. Mueller in Fleckeis. Annal. LXXXIII 1863 p. 260 s. et F. Beck De *vel* imperativo etc. Marpurgi Catt. 1908; is non animadvertit multis locis eum qui legit ab auctore interrogari vel peti.

Merc. 305 s. LY. Tun capite cano amas, senex nequissume?
DE. Si canum seu istuc rutilum sive atrumst, amo.
seust hoc rutilum susp. Lindsay.

Men. 295. ME. Si tu Cylindrus seu Coriendru's, perieris.
seu codices pro *si (sei)*

Si particulam *-ve* hoc loco excipit; in eo quod deinde ponitur exemplo *ni* excipit *nive*. In priore exemplo magis elucet demonstrativa *si* particulae origo.

Mil. 720 s. (PE.) Si ei forte fuisset febris, cecidissetve ebrius aut de equo uspiam,
Metuerem ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi.
cecidissentne codices, *-ve* Ritschl.

Bacch. 847 s. Nam neque Bellona mi umquam neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitae suae.

Medium quendam inter copulativa et disiunctiva locum tenent quae *continuativa* appellaverim, huius modi:

Trin. 83. Non nunc ego, si te surrupuisse suspicer
Iovi coronam de capite ex Capitolio
Quod in columine astat summo, si id non feceris
Atque id tamen lubeat suspicarier,
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?
v. 87 *quid tu id* A.

Magis id genus his exemplis indicatur; *si* est fere i a m, semel (v. 470) sine damno abest.

Trin. 468 s. Quid nunc? si in aedem ad cenam veneris
Atque ibi opulentus tibi par forte obvenerit,
Adposita cena sit popularem quam vocant,
Si illi congestae sint epulae a cluentibus,
Si quid tibi placeat quod illi congestum siet,
Edisne an incenatus cum opulento accubes?
P v. 469 *ut venerit*, 470 *sit cena*, *472 illi* pro *tibi*.

Simile hoc est:

Capt. 195 s. LOR. Si di immortales id uoluerunt vos hanc aerumnam exsequi,
Decet id pati animo aequo: si id facietis, levior labos erit.
Domi fuistis credo liberi:
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonust.

Omnino in continuatione condicionalium quas dicimus sententiarum parataxin tamen locum haud ita raro habere vel hi loci testantur, ubi aut adfirmativum aut interrogativum *si (sic* aut *sicne)* addi potest.

Ter. Eun. 252. Negat quis, nego; ait, aio; postremo imperavi egomet mihi.

Cfr. L. Havet Rev. phil. anc. XXX 1906 p. 198.

Most. 304 s. PHILO. Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit:
Tu me amas, ego te amo: merito id fieri uterque existumat.

Mil. 663 s. Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me;
Opusne leni? leniorem dices quam mutumst mare.

Petron. 101. Quomodo possumus egredi nave, ut non conspiciamur a cunctis? apertis capitibus, an nudis? apertis et quis non dare manum languentibus volet?

Quibus ex more meo adiungo hypotactica exempla et pura et *si* posito mixta, ex quibus elucet quam parum valeat condicionalis ratio adhibito *si* expressa.

Mil 742 s. Quin, ubi triduom continuom fuerit, iam odiosus siet;
Verum ubi dies decem continuos sit, east odiorum Ilias.

Ter. Ad. 70 s. Dum id rescitum iri credit, tantisper pavet;
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.

Mil. 731 s. Qui lepide ingeniatus esset, vitam ei longinquam darent;
Qui inprobi essent et scelesti, is adimerent animam cito.

ei omittit P.

Mil. 79 s. Mihi ad enarrandum hoc argumentumst comitas,
Si ad auscultandum uostra erit benignitas;
Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras,
Vt sit ubi sedeat ille qui auscultare uolt.

Cum haec posita essent:

Pers. 553 s. SA. Quid id quod vidisti? ut munitum muro tibi visum oppidumst?
VI. Si incolae bene sunt morati, id pulcre munitum arbitror:

visumst oppidum P.

sequuntur illa:

Pers. 559 s. Haec unde aberunt, ea urbs moenita muro sat erit simplici;
Vbi [ea] aderunt, centumplex murus rebus servandis parumst.

hos versus P omisit; *abcrunt* v. 560 A et *murum*.

Truc. 230 s. Quin ubi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum.
Ne umquam erit probus quisquam amator nisi qui rei inimicust suae:
Dum habeat, dum amet; ubi nil habeat, alium quaestum coepiat.
Aequo animo, ipse si nil habeat, aliis qui habent det locum.
Nugae sunt, nisi [qui] modo quom dederit, dare iam lubeat denuo.

v. 230 *cum mittas P* et *quisquam probus est;* 232—3 post 255 P; *dum amet* Lambinus, *habet* A.

Mil. 673 s. Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est;
In bono hospite atque amico quae<s>tus est quod sumitur,
Et quod in di[vi]vis rebus sumat sumpti, sapienti lucrost.

v. 673 *sumas* Camerarius; *sumat* libri, v. 675 *sumptu(s)* codices, *lucrumst* Leo.

Aliter se habent duo *si* ita posita, ut alterum non excludat alterum, ubi primigenia vis demonstrativa satis mihi videtur eminere (et sic:, et sic:) quae exempla cum copulativis sunt comparanda (pag. 35).

Rud. 569. CH. Iuppiter te perdat, et si sunt et si non sunt tamen.

Huc referendum videtur, quod apud Macrobium (3, 9) sic adfertur: *si deus, si dea est,* in inscriptionum latinarum corpore primo est:

1466, 1114. Sei deus sei dea. [1]).

Non multum illis abhorret hic locus, ubi tamen *sive* et *seu* ponuntur:

Ter. Andr. 292 s. Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive haec te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
Te isti virum do, amicum tutorem patrem.

Pseud. 767. Quoi servitutem di danunt lenoniam
Puero atque eidem si addunt turpitudinem,
Ne illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,
Malam rem magnam multasque aerumnas danunt.

Quae iam sequuntur duo exempla si contuleris, quam parum *si* et *sic* differant, facile concedes.

---

1) Cfr H. Jordan, Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Spr. p. 96 s. et 356 et H Keil, Commentarius in Catonis De agricult. Lips. 1904 p. 143.

Most. 188. SO. Tu ecastor erras, quae quidem illum expectes unum atque illi
Morem praecipue sic geras atque alios aspernere[s].

asperneris Lindsay.

Iam nonnulla trium enuntiatorum, ubi est *si*, exempla praetereuntes attulimus. Series eiusdem modi iam paucas proferam, primas mera parataxi insignes.

Most. 108 s. Atque illud saepe fit: tempestas venit,
Confringit tegulas imbricesque: ibi
Dominus indiligens reddere alias neuolt.
Venit imber, lavit parietes: perpluont:
Tigna put[r]efacit, per⟨dit⟩ operam fabri:
Nequior factus iamst usus aedium.

Capt. 479 s. 'Salvete' inquam. 'quo imus' [una] inquam 'ad prandium?' atque illa tacent.
'Quis ait: hoc? aut quis profitetur?' inquam: quasi muti silent,
Neque me rident. 'ubi cenamus ⟨una⟩?' inquam: atque abnuont.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstrualis epulas ante adipiscier:
Nemo ridet. scivi extemplo rem de compecto geri:

V. 479. *una* retinet, delet *ad pr.* Lindsay.

Hoc autem loco *si* plurimis locis obesse potuit, et omissum est semel: *stabit, astato.*

Pseud. 858 s. Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul.
Si quo hic gradietur, pariter progredimino.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suom si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet, tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito: stabit, astato simul.
Si conquiniscet istic, conquiniscito.

spectavit P, v. 864 *ceveto simul* Nonius.

Iam eo qui sequetur loco ubique pro *si* reponi potest sic vel ibi vel iam.

Truc. 35 s. Quasi in piscinam rete qui iaculum parat —
Quando abiit rete pessum, adducit linea⟨m⟩,
Si ⟨i⟩nierit rete piscis, ne effugiat cavet,
† Dum huc dum illuc rete or impedit
Piscis usque adeo don⟨ic⟩um eduxit foras —
Itidemst amator. si[d] id quod oratur dedit
Atque est benignus potius quam frugi bonae,

Adduntur noctes: interim ille hamum vorat:
Si semel amoris poculum accepit meri
Eaque intra pectus se penetravit potio,
Extemplo et ipsus per⟨i⟩it et res et fides.
Si iratum scortum fortest amatori suo,
Bis peri[i]t amator, ab re atque ⟨ab⟩ animo simul:
Sin alter alteri propitiust, idem perit:
Si raras noctes ducit, ab animo peri[i]t,
Si⟨n⟩ increbravit, ipsus gaudet, res perit.

v. 37 *siniecit* libri, emend. Bücheler, v. 40 *ibidem* libri; v. 48 *potius* codd. corr. Bücheler.

Et hoc loco belli apparatu depicto vivida continuatur oratio; *si* est: iam (suethice: så).

Bacch. 710 s. Ea ballista si peruortam turrim et propugnacula,
Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus:
Si id capso, geritote amicis uostris aurum corbibus,
Sicut animus sperat. PI. Apud test animus noster, Chrysale.

Hypotaxis huius modi loco nescio an invaserit:

Mil. 915 s. Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus est architectus,
Bene lineatam si semel carinam conlocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata constitutast.
Nunc haec carina satis pro⟨be⟩ fundata [et] bene statutast:
Adsunt fabri architectique ⟨adsunt⟩ ad eam ⟨h⟩aud inperiti.
Si non nos mater⟨i⟩arius remoratur quod opus⟨t⟩ qui det —
Novi indolem nostri — cito erit parata navis.

Plurima ego sicut Lindsay.

Pseud. 510 s. SI. Exlidito mihi hercle oculum si dedero. Ps. Dabis.
Iam dico ut a me caveas. Si. Certe edepol scis:
Si apstuleris, mirum et magnum facinus feceris.
Ps. Faciam. Si. Si non apstuleris? Ps. Virgis caedito.
Sed quid, si abstulero? Si. Do Iovem testem tibi
Te aetatem inpune habiturum.

excludito vel *sex cliidito* codices, correxit Ritschelius.

Rud. 629 s. TR. teque oro et quaeso, si speras tibi
Hoc anno multum futurum sirpe et lasserpicium
Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi —
DAE. Sanun es? TR. seu tibi confidis fore multam magudarim,
Vt te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo, senex.
DAE. At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuom,

Vt tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam
Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali,
Vt mihi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.

V. 636 *ulmeam* Itali, *uimeam* cod.

Pers. 360 s. VI. Cogita hoc verbum, pater:
Erus si minatus est malum seruo suo,
Tamen etsi id futurum non est, ubi captumst flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta adficitur miseria.

tamenesi A.

Postremum paucis exemplis demonstrandum est, quam expressis verbis vera condicio aut casus positio nonnumquam indicetur neque tamen semper *si* particula adhibita.

Ter. Phorm. 630 s. Verum pono esse victum eum, at tandem tamen
Non capitis ei res agitur, sed pecuniae!

Most. 359 s. Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:
Sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia:
Vbi id erit factum, a me argentum petito praesentarium.

Ter. Heaut. 1054. Ea lege hoc adeo faciam, si facit
Quod ego hunc aequom censeo.

Capt. 331 s. Eum si reddis mihi, praeterea unum nummum ne duis,
Et te et hunc amittam hinc — alio pacto abire non potes.

Ter. Hec. 474 s. Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Quom illa, quae nunc in me iniquast, aequa de me dixerit.

Haec fere conabar sequi vestigia primigenii *si* particulae ceterarumque coniunctionum condicionalium usus demonstrativi et paratactici, ad hypotaxin iamiam vergentis. Neque igitur id agebam, ut nova proferrem interpretamenta Plauti vel Terentii, nisi quibusdam locis commotiores sensus parataxi potius quam condicionali ratione viderentur facillime explicari. Neque vero circulos turbare volebam eorum, qui grammaticali vel quae nunc speciosiore nomine vocatur psychologica ratione — est autem plerumque vetus illa logica et abstracta aut miris nonnumquam analogiis fere contenta — certissima quaedam genera loquendi describerent, tuta in sede merita fruentes quiete, recte illi quidem si finem quasi sermonis spec-

tes, non origines eruas incertas et obscuras et tamquam fluitantes, quae tamen etiam illis aliquantum lucis aspergant.

Saepius ex adfirmativo loquendi genere (*sic* est) exibam, nonnumquam ex interrogando (itane?) vel ex indignantis exclamatione (*si*cine?!), quod itidem fit in negationibus (non sic est, nonne ita est? num ergo?!), neque interruptum sermonem logicis vinculis restringebam, tum vero non praesente re, de qua agebatur, tum contra positis adfirmativis primitus sententiis dubitandi exordia et ipsam condicionalem rationem nascentem reperire mihi videbar. Neque ex fictis exemplis exii, quamvis saepe explicationes finxisse dicar, sed ex vivido loquentium sermone, in quo facilius initia adgnoscas linguae. Atque initia quidem condicionalia ad Latinorum et Italorum linguas, non ad remotissimas indogermanicas aetates rettuli, neque similitudines omnes (vid. supra pag. 1, 2) cognatae, sed simili syntaxi tribuo. Hac tamen in re, incohata praesertim et adhuc incerta, fieri facile poterat ut errarem. Ac si quis non his viis, sed aliis — nam una et eadem vix ad finem ducet — condicionalem hypotaxin certius enucleabit latinae linguae, quam seorsum esse tractandam mihi persuasi, haud recuso quin verum aut saltem veri similia illinc quaeram.

Adde pag. 19 not. 2 K. Lerche, De quippe particula, Breslau 1910 p. 19 (*quippe . . ni*).

Genom Nådigt förordnande af den $\frac{13}{26}$ augusti 1903 inrättades vid Kejserliga Alexanders Universitetet inom dess Historisk-filologiska sektion en ordinarie lärostol i Rysslands historia och statskunskap. Till denna professions första innehafvare utnämndes af Kanslersembetet den 16 juni 1910 lyceilektorn, filosofielicentiaten **Uno Ludvig Lehtonen.**

Efter det professorn i estetik och nyare litteratur, statsrådet Eliel Aspelin-Haapkylä undfått afsked och täflan om det sålunda lediga embetet försiggått, utnämndes den 5 augusti 1910 till professor i estetik och nyare literatur docenten, filosofiedoktorn **Yrjö Hirn.**

Om sin lefnad och sina skrifter hafva de nyutnämnda professorerne lemnat följande uppgifter:

UNO LUDVIG LEHTONEN, joka on syntynyt Akaassa tammikuun 27 päivänä 1870 ja jonka vanhemmat ovat olleet kansakoulunopettaja David Lehtonen ynnä hänen vaimonsa sahankirjurin tytär Evelina Augusta Hollming, on:

I. Suorittanut tutkinnoita:

1) Ylioppilastutkinnon Hämeenlinnan suomalaisesta klassillisesta lyseosta toukokuun 25 päivänä 1891, ilmoittautuen samalla filosofisen tiedekunnan historiallis-kielitieteelliseen osastoon ja Hämäläiseen ylioppilasosakuntaan.

2) Filosofiankandidaattitutkinnon toukokuun 28 päivänä 1898 arvolauseilla yleisessä historiassa, suomenkielessä ja sen kirjallisuudessa, filosofiassa, Rooman kirjallisuudessa ja matematiikassa.

3) Filosofian lisentsiaattitutkinnon syyskuun 30 päivänä 1904 arvolauseilla yleisessä historiassa, suomenkielessä ja sen kirjallisuudessa ja filosofiassa.

4) Käytölliset opettajanäytteet suomalaisessa Normaalilyseossa syyskuun 29 ja 30 päivänä 1904 historian ja suomenkielen lehtorinvirkoja varten arvolauseilla „laudatur" ($\frac{33}{36}$ ja $\frac{26}{30}$).

II. Ollut virkatoimissa:

1) Helsingin kaupungin Sörnäisiin sijoitetun kansankirjaston ja lukusalin hoitajana kesäkuun 1 päivästä 1893 kesäkuun 1 päivään 1898.

2) Tiedeseuran kirjaston väliaikaisena hoitajana syyskuun 1 päivästä 1897 lokakuun 1 päivään 1898.

3) Historian ja suomenkielen lehtorina Sortavalan realilyseossa syyskuun 1 päivästä 1905 lukuvuoden loppuun 1908 valtakirjan nojalla marraskuun 8 päivältä 1904.

4) Historian ja suomenkielen lehtorina Tampereen klassillisessa lyseossa syyskuun 1 päivästä 1908 lukuvuoden loppuun 1910 valtakirjan nojalla helmikuun 15 päivältä 1908.

5) Venäjän historian ja Venäjän valtiotiedon professoriksi nimitettynä keisarilliseen Aleksanterin yliopistoon valtakirjan nojalla kesäkuun 16 päivältä 1910.

III. Tehnyt tieteellisiä tutkimustöitä:

1) Leipzigin ja Berlinin yliopistoissa lukuvuosina 1898—1900 jatkaen opinnoita historian ja muiden valtiotieteitten aloilla.

2) Preussin Valtioarkistossa Berlinissä kuuden kuukauden ajan v. 1900 tutkien Venäjän ja Preussin keskinäisiä suhteita erityisesti Venäjän puolalaispolitiikkaan nähden vuosilta 1801—1815.

3) Suomen Valtioarkistossa Helsingissä syksyllä v. 1900 tutkien eräitä samaan aineeseen kuuluvia erikoiskysymyksiä.

4) Useissa Venäjän valtioarkistoissa Pietarissa erikerroin helmikuusta alkaen v. 1901 vuoteen 1908 tutkien Venäjän historiaa etupäässä Venäjän hallituksen puolalais- ja suomalaispolitiikan kannalta Katarina II:n, Paavali I:n ja Aleksanteri I:n aikoina.

5) Ruotsin Valtakunnanarkistossa Tukholmassa joulukuussa v. 1906 ja marraskuussa v. 1907 tutkien Haminan rauhan historiaa.

6) Tanskan Ulkoasiain ministeriönarkistossa Köpenhaminassa marraskuussa ja joulukuussa v. 1907 tutkien tanskalais-venäläistä politiikkaa vuosilta 1807—1809.

7) Preussin Valtioarkistossa Berlinissä kesäkuussa v. 1909 täydentäen ennen tehtyjä tutkimuksia.

8) Saksin Valtioarkistossa Dresdenissä kesäkuussa v. 1909 tutkien Saksin ja Venäjän välisiä suhteita vuosilta 1807—1809.

9) Itävallan Hovi- ja Valtioarkistossa Wienissä heinäkuussa v. 1909 tutkien Itävallan ja Venäjän keskinäisiä suhteita vuosilta 1807—1809.

IV. Julkaissut painosta:

1) Kirjoituksen „Keisari Aleksanteri I:n lapsuus ja kasvatus" Hämäläisen osakunnan albumissa v. 1901, 75 sivua.

2) Kirjoituksen „Kertomus tutkimustöistä Pietarin arkistoissa Suomea koskevien asiapaperien etsimistä varten“ Historiallisen Arkiston 17:nnen osan jälkimäisessä vihossa, 6 sivua.

3) Muutamia kirjoitelmia ja arvosteluja Historiallisessa Aikakauskirjassa vuosina 1903—1904.

4) Väitöskirjan „Der Untergang Polens in seinen wichtigsten Ursachen dargestellt“ vuonna 1904, 170 sivua.

5) Tälle jatkoksi kirjan „Die polnischen Provinzen Russlands unter Katharina II. in den Jahren 1772—1782“ vuonna 1906, edellisen julkaisun kanssa yhteensä 634 sivua; kustantaja: Georg Reimer, Berlin.

6) Kirjan „Tilsitistä Haminaan“, I osan, vuonna 1908, 258 sivua; kustantaja: Werner Söderström osakeyhtiö, Porvoo.

7) Muutamia kirjoituksia teoksessa „Oma Maa“, sen I ja II osassa.

8) Esitelmän Suomalaisen Tiedeakatemian täysistunnossa tammikuun 16 päivänä 1909 Suomen sodan alkamisen historiasta vuosina 1808—1809, painettu Akatemian Pöytäkirjojen I osaan vuodelta 1909, 16 sivua.

9) Kirjoituksen „Tanskan osallisuus Haminan rauhan valmisteluihin“, tutkittu alkulähteitten mukaan ja julkaistu Historiallisen Aikakauskirjan juhlanumerossa E. G. Palménin kunniaksi vuonna 1909, 19 sivua.

YRJÖ HIRN är född i Willmanstrand den 7 december 1870; föräldrar: filosofiedoktorn, lyceilektorn *August Reinhold Hirn* († 1881) och hans maka *Aurora Elisabet Hoffström*.

Student med betyg från Borgå lyceum 1888; filosofie kandidat 1892, filosofie licentiat 1896, filosofie doktor 1897.

Tredje amanuens vid Universitetsbiblioteket 1894, Äldre amanuens vid samma inrättning 1903.

Docent i estetik och nyare litteratur 1898.

Professor i estetik och nyare litteratur den 5 augusti 1910.

Vistades våren 1893 med understöd af Kanslersmedlen i London för estetiska, psykologiska och sociologiska studier vid British Museum.

Uppehöll sig under tiden juni 1898 till juni 1899, delvis med understöd af Kanslersmedlen, i Paris, Belgien, Holland och England samt, som innehafvare af Alexandersstipendiet, under tiden augusti 1899 till augusti 1900 i London och Oxford.

Studerade, som innehafvare af reseunderstödet ur Kammarrådet Rosenbergs fond, från augusti 1902 till augusti 1905 i Italien, Frankrike, Tyskland, Österrike, Schweiz och Spanien.

Företog, med understöd af Kanslersmedlen, sommaren 1908 en vetenskaplig studieresa till England.

Deltog, som Universitetets representant, i den Tredje internationella kongressen för religionernas historia i Oxford 1908.

Från hösten 1909 lärare i konsthistoria vid Konstföreningens och Konstflitsföreningens skolor.

Från år 1907 medlem af Landtdagens Delegation för de Antellska samlingarnas vård.

Åren 1908—1910 medlem af Komitén för uppgörande af förslag till bortgifvande af statens konstnärsstipendier.

Åren 1902, 1907 och 1908 medlem af Litteratursällskapens delegation för uppgörande af förslag till bortgifvande af statens litterära pris.

Ledamot af Finska Vetenskapssocieten 1909, Viceordförande i Konstflitsföreningens direktion 1909, Medlem af Finska och Svenska Litteratursällskapen, af The Aristotelian Society i London, Société de Sociologie de Paris, m. fl.

Gift den 6 juni 1895 med *Karin Åberg,* dotter till Kommerserådet *Carl Eugen Åberg* († 1906) och hans maka *Leontine Emelie Hougberg* († 1902).

Utgifna arbeten och uppsatser:

Förstudier till en konstfilosofi på psykologisk grundval. Akademisk afhandling. Helsingfors 1906.

Skildringar ur Pueblofolkens konstlif. Helsingfors 1901. (Särtryck ur Vetenskapliga meddelanden af Geografiska Föreningen i Finland).

The Origins of Art. A psychological and sociological Inquiry. London 1900. Macmillan & C:o. Svensk upplaga: *Konstens ursprung.* Helsingfors o. Stockholm 1902. Söderström & C:o. Wahlström & Widstrand. Tysk öfversättning: *Der Ursprung der Kunst.* Leipzig 1904. Johann Ambrosius Barth.

Det heliga skrinet. Studier i den katolska kyrkans poesi och konst. Stockholm o. Helsingfors 1909. Wahlström & Widstrand. Söderström & C:o.

(En engelsk upplaga, *The Sacred Shrine,* utkommer inom kort hos Macmillan & C:o i London).

Finland i den utländska reselitteraturen i slutet af sjuttonhundratalet. (I Svenska Litteratursällskapets Förhandlingar och uppsatser 11).

Bernhardin de St. Pierre och Finland. (I Förhandlingar och Uppsatser 19).

Förbisedda konststilar. I Ateneum 1899.

Vernon Lee. Ett bidrag till bestämningen af de estetiska typerna. I Finsk Tidskrift 1907.

Thomas Hardy. I Finsk Tidskrift 1907.

Vertailevien taidetutkimusten metoodeista. I Valvoja 1897.

Ethnic Art. I Vol. I af Hastings' Encyclopædia of Religion and Ethics. (London 1908).

Notes sur la Ballade des dames du temps jadis. I Neuphilologische Mitteilungen 1908.

Katalog öfver den svenska litteraturen i Finland samt arbeten af inhemska författare på främmande språk. 1891—1895. Skrifter utgifna af Svenska Litteratursällskapet i Finland. XXXV.

Litterära uppsatser om Lafcadio Hearn, Josef Conrad och Thomas Hardy (på svenska) samt Johan Bojer (på finska), publicerade som inledningar till öfversättningar af nämnda författare.

Smärre litterära, estetiska och konsthistoriska uppsatser publicerade i Euterpe, Argus, Finsk Tidskrift, Valvoja, Nuori Suomi m. fl. samt i inhemska och utländska dagliga tidningar.

Professoren **Lehtonen** tillträder den 21 september 1910 kl. 11 f. m. sitt embete med ett föredrag hvars titel lyder: *Varsovan herttuakunnan perustaminen Tilsitissä v. 1807.*

Därefter håller professoren **Hirn** sitt inträdesföredrag med titel: *Molières Le misanthrope.*

Till åhörande af dessa föredrag får jag i egenskap af Historisk-filologiska sektionens decanus vördsamt inbjuda förutom Universitetets samtliga medlemmar vetenskapens idkare och vänner.

F. Gustafsson.

